BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
18
NAPOLI

SYNODVS
DIOECESANA

DON IOANNE

Digitized by Google

CATANENSIS ECCLESIAE

SYNODVS DIOECESANA

AB ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISSIMO DOMINO

DON IOANNE DE TORRES OSSORIO

EPISCOPO CATANENSI
CELEBRATA.



Superiorum Permiſſu.

MILITELLI V. N. M.DC.XXIII.
Typis Ioannis Roſſij, & Franciſci Petroni.

DON IOANNES DE TORRES OSSORIO, DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS gratia Epiſcopus Catanenſis,

COMES MASCALARVM, Regiuſque Conſiliarius.

VNIVERSO CLERO SVO SALVTEM IN DOMINO.

PASTORALE munus, quod ad maiorem Diuinæ Maieſtatis gloriam, debitamque erga ſummum Numen religionem amplificandam, humanamque ſalutem procurandam, Chriſtus Dominus in Eccleſia ſua diuinitus inſtituit, iure ſuo ab Epiſcopis expoſcit, vti quanta fieri poteſt diligentia, integritate, ſtudioque obeatur. Cum igitur nos quoque, quàmquàm immeritos, Diuina Bonitas, æternaque Sapientia ad tam altum huiuſce dignitatis apicem propter gloriam ſuam extuliſſet, cœleſte etiam mẽti noſtræ lumen prætulit cõſilij ſui, quo illuſtratus noſter animus, nihil habuit antiquius, quàm Chriſtianam religionem, & cærimo-

nias publicas, priuatoſque mores, ſacra, & res diuinas omnes ſanctiſſime tueri. Ad quæ præſtanda, Cathedralem luſtrando, obeundoque iuriſditionis noſtræ Diœceſim pro virili parte incubuimus, vti priuſquàm Synodum cogeremus, perſpectum oculis noſtris haberemus, quid minus ad diuinum cultum congrueret, quid negligenter à miniſtris ageretur, quid à chriſtianis moribus abhorreret, quid denique facto opus eſſet, vt ritè omnia, ſanctèque obirentur. Luſtrata igitur ſemel, atque iterum Diœceſi, optimèq; rebus omnibus animaduerſis, præſentem Synodum in Domino congregatam habuimus. Ad quam conuocatis ijs, qui ad Synodum de iure, aut cõſuetudine venire debent, ea ſtatuta, cõſtitutioneſque promulgauimus, quæ perturbatam Cleri, aliorumque nonnullorum vitæ, officij, morumque diſciplinam inſtituere, & ad meliorem frugem corrigere poſſe ſperauimus. Totam autem conſtitutionum collectionem, iacto prius Fidei fundamento, quattuor in partes diuiſimus. in Prima, materialem Eccleſiæ conſtructionem, eiuſque ornatum, quoad fieri potuit, docuimus: in Secunda, in eam vaſa ſacra aurea Sacramentorum intulimus: in Tertia, miniſtros ad hæc miniſtranda, ad eamque diligenter cuſtodiendam adhibuimus, quos etiam optimis moribus informare ſtuduimus: in Quarta, quomodo ad forum

noſtrum

noſtrum Eccleſiaſticum pertinentia, ſint tractanda, præſcripſimus; & ad finem nonnulla de Monialibus, Clericorum Seminario, ac Regularibus adhibuimus. Ea verò omnia, quæ præcipimus, partim ex Oecumenicis Concilijs, ac Apoſtolicis ſanctionibus excerpta ſunt, partim à Sanctis Patribus, præſertim verò ab ijs, quæ hàc noſtra ætate clariſſimum illud omnium virtutum exemplar, Sanctus, inquam, Carolus, tum in Prouincia; tum etiam in Mediolanenſi Diœceſi ſeruanda tradidit. Trangreſſionum verò pęnas ferè omnes arbitrio noſtro reſeruauimus, quandoquidem, & pro temporum varietate, & perſonarum diuerſitate, non ſemper eædem, nec omnibus infligi poſſunt, nec debent. Statutis autem pœnis, vt omnino decreta obſeruentur, excommunicationem aliquando in ſubſidium adiunximus. Ea igitur libenti animo ſuſcipite, præ manibus ſemper habete, vt facilius quid vobis faciendum, quidue vitandum dignoſcere valeatis. Valete.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

NOS DON IOANNES DE TORRES OSSORIO, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Catanenſis, Comes Maſcalarum, ac Sereniſſimi Philippi Regis Catholici Conſiliarius, ad Dei Omnipotentis, Beatæque ſemper Virginis Mariæ, ac Sanctæ Agathæ Virginis, & martyris Patronæ noſtræ laudem, pro diuino cultu augendo, diſciplina Eccleſiaſtica conſeruanda, ac populi fidei noſtræ concrediti, moribus reformandis, Hæc omnia in hac Synodo Diœceſana decernimus, ſtatuimus, & mandamus.

PARS PRIMA

DE FIDE CATHOLICA, & ad illam pertinentibus.

Cap. I.

FIDES, quæ (Apoſtolo teſte) ſubſtantia eſt rerum ſperandarum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ea eſt, quam Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater, & magiſtra ſemper inuiolatam, & inconcuſſam tenuit, ac docuit, eamque non modo totis viribus conſeruandam ab omnibus noſtræ curæ commiſſis volumus, & ſatagimus, ſed etiam qua maiori poſſumus diligentia, & ſollicitudine curamus, ne quis vel minimum quidem in ea vacillet, aut aberret. *Ad Heb. 11.*

1. Quare præcipimus in primis, vt omnes, ac ſinguli, qui, iuxta conſtitutionem felicis recordationis Pij Quarti, eam profiteri tenentur, ad normam ibi præſcriptam publicè, ac ſollemniter in manibus Epiſcopi, aut eius Generalis Vicarij emittant; neue ſub pœnis in eadem conſti- *Bul. 1*

tutione præfixis, munus ſuum exercère audeant, antequam de eiuſmodi publica profeſſione facta ex teſtimonio ſcripto, & in actis redacto, claré conſtiterit.

2. *Trident. ſeſs. 24. de Ref. c. 12.* Dignitates verò, & Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis obtinentes, non ſolum coram Epiſcopo, ſed etiam in Capitulo id facere teneantur.

3. Et quia ex Tridentini Concilij decreto in prima celebranda Synodo, prout hæc noſtra eſt, interuenientes eamdem fidei profeſſionem emittere tenentur, ideo genibus flexis omnis qui præſenti Synodo intereſt, eam nobiſcum profiteatur.

EXEMPLVM PROFESSIONIS fidei.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium; Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum, non factum, conſubſtantialem

Patri,

Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis; Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas; Et vnam Sãctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurrectionem mortuorum, Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam vmquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè ſacramenta nouæ legis à Ieſu Chri-

ſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremã vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam cõferre: Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis. Atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cũ anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti; fierique cõuerſionem totius ſubſtãtiæ panis in corpus, & totius ſubſtãtiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia, tranſubſtantiationem appellat; Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vna

cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe; eoſq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas; firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem, à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo: Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Cõcilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integrã, & inuiolatam vſq; ad extremum vitæ ſpiritum, cõſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & cõfiteri,

atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prędicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

4. Si quis verò aliquem cuiuſcunque gradus, aut conditionis à prædicta fide aberrare, vel dubitare nouerit, ad noſtram in hac Vrbe, in Diœceſi verò noſtrorum Vicariorum notitiam intra terminum dierum trium, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ deducere teneatur.

5. Hoc ipſum ſeruari volumus, ſi quempiam libros prohibitos, etiam manu ſcriptos legere, vel apud ſe retinere conſtiterit.

6. Et quoniam ad eamdem fidem labefactandam pertinent pacta, & cum dæmone humani generis hoſte familiaritas, Necromantia, Geomantia, Hydromantia, ceteræque eiuſmodi artes prohibitæ, ſortilegia, & qui magicis artibus, vel nocère, vel prodeſſe contendunt, necnon & ſagæ, vel lamiæ, quæ vulgò ſtriges vocantur, in eos omnes excommunicationis ſententiam ferimus; ac ſub eadem pœna præcipimus, vt qui huiuſmodi notitiam habuerit, intra prædictum terminũ, nobis, vel noſtris Vicarijs reuelare teneantur.

Caueant verò Confeſſarij, ne quauis auctoritate muniti, hos abſoluere præſumant, niſi prius

nos,

nos, vel Vicarios noſtros certiores fecerint ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione Sacramẽti pœnitentiæ, ipſo facto incurrenda. Vicarij verò quantocyus rem ad nos deferre curabunt. Per hæc autem eos adſtringere non intendimus, qui debitum munus hoc reuelandi apud Officium Sanctæ Inquiſitionis præſtiterint.

8\. Et vt omnis peccandi occaſio in hoc omnino tollatur, præcipimus omnibus, & præcipuè mulieribus, ne audeant infirmis infirmitatis prætextu, orationes à nobis non approbatas, approbatas verò non niſi intelligibili voce applicare, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

9\. Exorcizandi verò poteſtatem nemo, niſi de Epiſcopi facultate ſcriptis obtenta, id verò munus magna cum fide, & humilitate exerceat, attentè cõſiderans, an infirmus exorcizandus morbo potius laboret, quàm à dæmone vexetur. Quod ſanè in Eccleſijs ſacramentalibus adimpleat, ſpiritualibus armis munitus, religionis decorem præſeferens, neq; inſolitis, ſed à Catholica Eccleſia approbatis verbis, & exorciſmis vtatur, iuxta Rituale Romanum poſtremò editum.

10\. Acerrima tandem correptione digni ſunt, qui Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *Leuit. 2. Exod.* & glorioſam Virginem Mariam blaſphemant, Sanctiſque maledicunt. qui ergo in hoc crimine depre-

deprehenſus fuerit, grauiter iuxta delicti grauitatem, Epiſcopi arbitrio puniatur.

DE HIS, QVAE AD ECCLESIARVM cultum, nitoremque tuendum pertinent. Cap. II.

Matth. 21. Eccleſiam, Dei omnipotẽtis Regiam, in qua Regem Regum Ieſum Chriſtum inhabitare, votaque ſupplicum, preceſque clementer excipere, ſeque ipſum, ſuique ſanguinis pretioſi Pſ. 92. merita fidelibus per Sacramẽtorum adminiſtros impertiri conſtat, tanta decet ſanctitudo, nitorque, ac munditia, quantam nec cogitatione aſſequi, nec verbis explicare ſatis pro dignitate poſſumus; longe enim maior domus huius, quàm Salomonici Templi gloria eſſe debet. Ab ea igitur exordium ſumentes, hæc ad ipſius Eccleſiæ cultum inſtaurandum, tuendumque decernimus, atque mandamus.

II. Vt tota Eccleſia ita à profanis ædibus quoad eius fieri poteſt, ſit diſiuncta, vt formam inſulæ præſeferat, nec laicorum hominum ædes impoſterum ædificari patiatur Epiſcopus, aut Vicarij, quæ Eccleſiarum parietes vlla ex parte cõtingãt. Quod ſiquis id temere præſumpſerit, Vicarius omnino prohibeat, propoſita etiam excommunicationis pœna, deque tota re Epiſcopum quàm pri-

primum monitum faciat. quod ſi ipſe neglexerit, vncijs quatuor fabricæ Eccleſiæ applicãdis mulctetur, alijſque grauioribus eiuſdem Epiſcopi arbitratu.

12. Ac ne, quæ domus orationis eſt, & vocatur, hominum auaritia, ac inſolentia, ſpelunca latronum fiat, nõ celebrioribus modo diebus, ſed nec aliquo vnquam tempore, officinæ, vel tabernæ, etiam tabulis, aſſeribuſque compactæ Eccleſiarum parietibus inhæreant, nec res venales ad earum poſtes, aut parietes appendantur. qui ſecus fecerint, rebus ipſis venalibus mulctentur. tecta, palearum, cæmentorum, lapidumue aceruis, aut lignorum ſtrue, alijſue eiuſmodi rebus ne onerẽtur. tabernæ verò nundinariæ ſaltem vnius vlnæ ſpatio à parietibus Eccleſiæ diſtent. Matth. 21.

13. Nullum in parte ſuperiori habeat cubiculum, aut cænaculum, locumue vbi dormiatur, aut habitetur, vel quidpiam profanum exerceatur.

14. Diligentia eorum, quorum fidei Eccleſiæ cõmendatæ ſunt, & ſi opus fuerit, aliqua propoſita pœna adhibeatur, vt parietes, & areæ ante Eccleſias ab omnibus ſordibus mundæ ſint, nec aliquid iuxta eas proijciatur, cuius fœditas eò adeuntium oculos offendere, vel grauis, teterque odor moleſtiam exhibere poſſit. quamobrem qui id

auſi

auſi fuerint, vnius aurei pœna mulctandos cenſuimus.

15. Arbores præterea, ſtirpes, ederæ, aliaque arbuſta Eccleſiæ parietibus non adhæreant, ne eis officiant, aut lumen per feneſtras excipiendum impediant. nihil denique quod Eccleſiarum decori, aut ipſarum religioni, ſanctitatique repugnet, vllo modo permittatur.

IANVA.

16. c. lator. 6. q. 5. IAnua maxima è regione altaris item maximi quò ad eius fieri poteſt, extructa ſit, in cuius parte ſuperiori extrinſecus illius Sancti imago pingatur, cuius nomine Eccleſia nuncupatur.

17. Oſtia vero ipſa ita diſpoſita ſint inter ſe, vt nemini, præſertim vero onera portantibus, per Eccleſiam trãſeundi præbeatur occaſio; neutiquam enim ferendum, vt homines cũ diuini cultus imminutione aliquid de viæ labore diminuãt: quare ſi abuſus hic vſpiam inoleuerit, ianuarum altera occludatur, quo indecens hic trãſitus impediatur.

Fores demum omnes à clerico, vel alio, cuius id curæ commendatum fuerit, ſtatuta, & conuenienti hora aperiantur, & claudantur.

TA-

PARIETES, ET TECTVM.

19\. PArietes firmi ſint ex omni latere benè delimiti, ac dealbati, quorum foramina, quæ ædificationi olim Eccleſiæ deſeruierant, obſtruantur, nihilque in eis niſi mundum, ac nitidum cõſpiciatur.

20\. In parietibus depictæ, vel impoſterum depingendæ imagines, nihil procax, inhoneſtum, falſum, aut apocryphum redoleant, ne quod ad animi pietatem excitandam inſtitutum eſt, id fidelium ædificationi minus conferre videatur: quæ verò carie, ſitu, ac ſordibus ſquallent imagines à conſpectu amoueantur. *Trident. ſeſſ. 25. de ven. Sãct. & ſacr. imag.*

21\. Tectum ſiue laqueatum, ſiue fornicatum fuerit, ex omni parte ita integrum ſit, vt totum ædificium commodè contegat, nec imbrium modo vim arceat, ſed ſtillicidia etiam prohibeat, quæ tum alia afferunt incommoda, tum illud maximè quod contignationi detrimẽto ſunt haud mediocri: ad eum denique modum compactum ſit, vt ne lacertis quidem, cæteriſque eiuſmodi aditus in Eccleſiam ſit.

22\. Feneſtræ ſi non vitro, ſaltem ceratis telis, tum per hiemem, tum etiam per æſtatem munitæ ſint; atque extrinſecus ferrea, aut ſaltem ex filo cõfecta retia aditum in Eccleſiam auibus prohibeãt.

PA-

PAVIMENTVM.

23. PAuimētum ſi nō ſolido lapide, ſaltem æquis laterculis, aut opere teſtaceo cōſtratum ſit, ne incedentes offendant; quod ſemel minimum ſingulis hebdomadibus verratur, ne ſitu, aut puluere, aut alio quouis modo ſordeſcat.

24. Atq; vt ne Chriſtianæ religionis myſteria pedibus terantur, Dominica in eo Crux, aut Sancti alicuius imago pingi, ſculpiue nullo modo permittatur.

VAS AQVAE SANCTAE.

25. FOns, in quo aqua benedicta aſſeruatur, ex marmore, aut ex polito aliquo lapide ſit; atque ad oſtium intra Eccleſiam, & à latere ingredientium dextro collocatus ſit, columnella, vel baſi ita ſuffultus, vt parieti non adhereat.

26. Singulis quibuſque diebus ſabbatis mundetur fons diligenter, & noua aqua recens benedicta in illum infundatur.

SEPVLCHRA.

1. SEpulchra fidelium cadaueribus condendis, vt nos conditionis noſtræ admoneremur, in Eccleſijs ædificari conſuetum eſt; atque vt eò cōuenientes viui, pro defunctorum ſalute, quorum

ibi

ibi oſſa conduntur, preces ad Deum fundant, cæ verò non niſi decenter accomodata, & diſpoſita permittenda nō ſunt: quamobrem ſi qua ſunt in excelſo loco ædificata, niſi fortè ærea, vel marmorea fuerint, auferantur.

28. Quæ verò impoſterum ſunt ædificanda in pauimento, illi omnino æquentur, ne incedentibus, præſertim verò Sacram Euchariſtiam, Sanctorum reliquias, aut ſacrum Oleum deferentibus, ſint offendiculo. in quorum ſuperficie, neque Crux Dominica, neque ſacra imago vlla ſculpatur.

29. Os verò ad altaris ligneum ſcabellum ne pertingat, ipſum autem os duplici claudatur operculo, quorum alterum ab altero, palmo diſtare debet, & inter vtrumque humus ponatur, ne tetrum odorem efflare poſſit.

S. Carol. tit. de ſepult. cap. 16.

30. Sepulchra à Baptiſterio ita diſtent, vt ad eius ſepta non pertingant, quæ ſine Epiſcopi facultate ſcripto comprobata, nulla impoſterum ædificanda ſunt. Atque in Eccleſijs nonniſi in concameratis ſepulchris cadauera ſepeliantur; effoſſa verò humo, numquam. qui ſecus fecerit vncijs decem mulctetur, quam etiam pœnam incurrant Vicarij, curati, aut Officiales, qui permiſerint.

31. At occiſorum corpora in ſepulchris iam condita, à miniſtris criminalium iudiciorum, nul-

la omnino de cauſa in locis ſacris inſpici permittantur, ſed aliò inſpicienda transferantur.

32. Cadauera in Eccleſijs ſuper pauimentum loco depoſiti vltra menſem ne recipiantur, & hoc ex iuſta cauſa. quo tranſacto, vel ad locum deſtinatum transferantur, vel infra terram ſepeliantur. ſub pœna Rectoribus Eccleſiarum ſuſpenſionis Epiſcopi arbitrio.

33. Cæmeteria, in quibus fidelium defunctorum oſſa, & cineres conſeruantur, locum ſacrum eſſe nulli dubium eſt. præcipimus igitur, vt vndequaque claudãtur, ne animalibus pateant. Crux in medio erigatur, & vites, aut cuiuſuis generis arbores ex eis omnino euellantur, nec in illis quouis modo ludi permittantur.

CATHEDRA EPISCOPI.

4. EPiſcopi Cathedram, quantum fieri poteſt, in omnibus Eccleſijs, ad quas vel Viſitationis gratia, vel alia de cauſa venturus ſit, in ſublimi loco conſtitutam eſſe addecet, ad eum modum, quo in Cathedrali ſita eſt, vt ex ea populum cõmodè intueri, & viciſſim ab eo conſpici, concionem habere, vel alios concionantes exaudire, populoque ipſi poſſit benedicere.

SVGGESTVS.

35. IN Eccleſijs quibuſcunq; Parochialibus Suggeſtus extruatur eo loci, vnde ad populum cõmodè concio haberi poſſit, atque ab illo ipſo, qui in altari maximo rem diuinã facit, exaudiri.

Ad eius latus, quod altare maximum reſpicit, ſignum Chriſti de Cruce pendentis poſitum ſit, non parieti inhærens, ſed Suggeſto ipſi bene coaptatum.

Pridie eius diei, quo concio habenda eſt, diligentiſſimè ab omni ſorde mundetur, & ſuo pallio circumueſtiatur.

SACRARIVM.

36. SAcrariũ in vnaquaque Eccleſia, in qua Miſſæ ſacrificium peragitur, omnino aut in maiore ſacello, aut in Sacriſtia extruatur, & claue obſeretur..

CHORVS.

37. CHorus ad laudes Domino decantandas, quãtum fieri poteſt, poſt altare maximum eſt collocandus, in quo lignea ſubſellia ſaltem non pauciora, quàm ſit numerus eorum, quibus eò conueniendum eſt, eſſe debent.

38. Arca lignea in eo ſit, in qua ſacri libri ſtudioſè ſeruari debent, in ea poſt diuinarum laudum officia perſoluta reponantur, ac ferrea claue, quæ penes Sacriſtam, aut Chori Præſidem ſit, occludantur.

39. Chori denique locus ad eum modum cõſtitutus ſit, cancelliſque ſeptus, ſi fieri commodè poteſt, vt diuinorum officiorum tempore laicis in eum aditus eſſe non poſſit; neutiquam enim ferẽdum eſt ſæculares homines eccleſiaſticorum, qui diuinis laudibus perſoluendis ſunt addicti, loca indecenter occupare. qua propter cuiuſuis ordinis laici per id temporis admoniti egredi à choro ſub excommunicationis pœna teneantur: ſi tamen plura ſint ſubſellia quàm clericorum numerus poſtulat, permittatur à Chori Superiore grauibus viris illa occupare, dummodo Clericis non intermiſceantur.

Cap. 1. de vita, & hon. Cler.

ORGANVM.

40. AD Organi ſonum (quod eo loci conſtitutum eſſe debet vt à Choro facilè canentium voces audiri poſſint) nulla, vel laſciua, vel leuia, aut profana cantica admittantur; ſed pia ſint, grauia, atque diſtincta, vt ab auditoribus verba planè excipi poſſint: modi vero ipſi ad eum

modum facti, vt ad pietatem populus excitetur.

41. Quæ ad Organũ canũtur, in choro ſingula omnia recitẽtur; Symbolum verò fidei totũ à choro, vel à cantoribus nõ alternatim Organo canatur.

42. Organi Præfectus venientem Epiſcopum diebus feſtis graui modulamine excipiat, itemque abeuntem proſequatur.

Quod ſollemnioribus quoq; diebus, dum ſacras veſtes induit Epiſcopus, aut populo Sacram Euchariſtiam impertitur, faciat diligentius.

SACRISTIA.

43. SAcræ ſupellectili recondendæ Sacriſtia ad vnamquamque Eccleſiam extruatur, tutiori, commodiorique loco, ac quantum fieri poteſt, Choro viciniori.

44. Armarium in ea ſit, vel plura etiam, vt Eccleſiæ ratio, ac ſupellectilis copia poſtulat.

45. Oratorium præterea decenti loco, ac ſeparato collocetur, in quo Sacerdos antequam ſacrum faciat, ſe colligere, & præparare, ac peracto ſacrificio gratias Deo agere, & in contemplatione tanti myſterij aliquanto tempore commorari poſſit.

46. Ob eam cauſam Orationes antè, vel poſt Miſſæ celebrationem recitandæ, in tabella exſcriptæ habeantur, ac illæ etiam ſeorſim, quæ ſacris veſtibus induendis accomodantur.

47. Labellum præterea cum manutergio appenſo, quod ſingulis quibuſque dominicis diebus mutetur, ad abluendas manus Sacerdotum, atque tergendas.

48. Ad hæc binæ tabellæ, in quarum altera Miſſæ, & anniuerſaria, quæ vel à toto illius Eccleſiæ Clero, vel ab vnoquoque in ſingulos dies peragi, præſtarique debeant. quæ diſtinctè pro quibus, quibuſque diebus, & altaribus Miſſæ celebrandæ ſunt, contineat.

In altera, officiorum diſtributio, & adminiſtrantium, vt quo decet ordine, Sacramenta miniſtrari, officiaque perſolui queant. Sit poſtremò liber, in quem eorum nomina, qui ſacrum fecerint, quotidie referantur.

BAPTISTERIVM.

49. FOns baptiſmalis marmoreus, aut è ſolido aliquo lapide conſtet, nō lateribus, vt aqua nec effluere, nec ſenſim abſorberi poſſit. interea verò dum ad eum modum haberi non poteſt, vas æneum intrinſecus ſtamno illitum comparetur, quod lapidi ita coaptetur, vt tutè contineri aqua poſſit.

o. Fontis autem ſtructura ea eſſe debet. Vas amplum ex materia, quam diximus, extruatur, in

cuius

cuius medio oualis, aut rotundæ figuræ, alterum fulcimento affabrefacto erigatur, in quo baptiſmalis aqua ſeruetur. quod ſi fieri nequeat præ alterius paruitate, ad oram illius hoc alterum ſtatuatur, vt in noſtræ Viſitationis excurſu alicubi curauimus.

Porrò amplioris illius vaſis fundus ad excipiẽdam aquam è baptizati capite defluentem, vndique diuexus, ac paulò accliuior ſit, exiguoſque aliquot canaliculos habeat, quibus ad foramen aqua deriuetur, per quod in ſacrarium etiam effluat, quod ſub ipſo baptiſterio propterea exædificandum eſt.

Colummella item erigatur, in cuius ſumma parte vas ipſum baptiſmale, in quo per totum annum baptiſmalis aqua ſeruanda eſt, aptè, concinnèque collocetur.

Ciborio fons ad pyramidis formam contegatur, in quo feneſtellæ binæ aperiri poſſint, ex quarum altera Sacerdos miniſterium ſuum exequi, ex altera infans ſacro fonti commodè adhiberi ad ſuſcipiendum baptiſma poſſit: ipſum verò ciborium conopèo conueſtiatur.

Armariolum in ciborio conſtruatur, in quo ritualis liber, Sacramentorum mantilia, ac reliqua ad baptiſmi miniſtrationem neceſſaria reponantur.

Præterea coclear,ſi minus argenteum, ſaltem ęreum,aut ſtamneum ſit, ad aquam baptiſmalem hauriendam, & in caput pueri infundendam, mantilia verò ipſa non niſi noua adhibeantur, quibus in adminiſtratione tantum baptiſmi, vti decet, ſi vero minus apta ad id fuerint, niſi ſacris Eccleſiæ vſibus accomodari poſſunt, comburantur.

51. In Eccleſiæ ingreſſu, & à parte ingredientium ſiniſtra collocatus ſit fons baptiſmalis, quantum fieri cōmodè poteſt, atque in ſacello ad id deſtinato,quod ſi minus haberi poſſit,ſaltem hemicyclus decenter ornetur, in quo Sācti Ioannis Baptiſtæ Chriſtum baptizantis effigies ſit depicta.

52. Cancellis, ſeptiſque ferreis, aut lapideis, aut minimum ligneis torno laboratis vndique fons ambiatur,eaque ſint altitudine brachiorum duorum, aut eò etiam amplius.

CONFESSIONALIA.

3. SAcramentales, Parochialeſque Eccleſiæ quęcunque totidem habeant Cōfeſſionales Cathedras ſingulæ, quot habent Confeſſarios, quæ ad eum modum conſtructæ eſſe debent,vt confitens ab excipiente cōfeſſionem perforata aliqua lamina diuidatur. eæ verò extra ſacelli maximi ambi-

ambitũ,aperto, cõſpicuoue loco collocãdæ ſunt.

54. In his capſulæ, loculiue ad eleemoſynas colligendas, nullo prætextu extruantur, aut loco proximo affigantur.

55. Chriſti verò de Cruce pendentis, aliorumue Sanctorum imagines, ac pia aliqua tabella, in qua præparatoriæ orationes exſcriptæ ſint, affigantur.

ALTARIA.

56. Altare, ſuper quo Sacroſanctum, atque incruentum ſalutis noſtræ ſacrificium immolatur, ſumma par eſt diligentia concinnari. lapideum igitur ſit, aut lateritium ſaltem, ita extructum, vt nullum in eo foramen, aut feneſtella relinquatur, in qua quidpiam aſſeruari poſſit, niſi fortè Sanctorum reliquiæ ſub eo ſint reconditæ: ſi verò colummellis ſubfultum ſit, aut alia quauis forma affabrefactum, nihil omnino præter reliquias, ſub eo reponatur.

Altitudine ſit à ſcabello ligneò palmorum quatuor cum dimidio, longitudine palmorum ſeptem, vel minimum palmorum ſex, & latitudine ſaltem palmorum trium cum dimidio, aut ſaltem trium.

57. Scabellũ ligneum habeat, quod à fronte altaris palmos quatuor productũ ſaltem pateat, atq;

æquè

æquè cum altari in longitudinem protendatur.

58. Altaria omnia, ſaltem maximum, cancellis lapideis, aut ferreis, vel ſaltem ligneis ſepiatur, qui tanto ſpatio à ſcabello diſtent, quod Diaconis, & Clericis ad adminiſtrandum commodè ſatis eſſe poſſit.

59. Intra cãcellos ne quiuis præter miniſtros adeſſe permittatur, dum Miſſę ſacrificium peragitur.

60. Feneſtrella quoque ſit in pariete à parte Epiſtolæ, plano aliquo, leuique lapide tranſuerſali diſtincta, itaut pars ſuperior peluiculæ cum vrceolis reponendæ, dum res diuina fit, inferior ad aquam ablutionis proijciendam vſui ſit.

61. Altaria omnia, quæ tota ſacrata non fuerint, arulam habeant ex lapide ſacrato, quæ longitudine ſit, minimum palmi cum dimidio, latitudine verò palmi, & eò amplius.

62. Vnumquodque altare dum Miſſæ fit ſacrificium, tria habeat munda mãtilia, quorum vnum ad ſcabellum vſque ligneum ex altaris cornibus protendatur, reliqua verò, ſi altare totum ſacratum fuerit, & ipſum ſupernè contegant, ſin minus, totam ſaltem arulam conueſtiant.

63. Poſt peractum Miſſæ ſacrificium, tela viridi, aut alterius coloris ſupernè cooperiatur altare, ne mantilia puluerem contrahant.

64. Sacram aliquam, ſcitèque depictam imaginem

habeat

habeat ſaltem in pariete, quæ niſi fuerit Chriſti de Cruce pendentis, paruum aliud Crucis Dominicæ ſignum adhibeatur, ſecretarum præterea orationum tabellæ, puluilluſque ad miſſale fulciendum.

65. Propriam habeant altaria ſingula ſupellectilem, pallium verò concinnè, decorèque coaptetur, extendaturque, ne conſumi, deterique facilè poſſit.

66. Altaria ſiquæ ſunt ſub ſuggeſtu, aut organo extructa, amoueantur, nec impoſterum extruantur.

Columnis, piliſque ne adhęreant, nec è regione ſint arę maximę, aut nimis ei proxima; nec verò etiam Eccleſię ianuis admodum propinqua.

67. Altaribus, quę de iure ſunt patronatus, à patronis intra ſex menſes ornamenta neceſſaria cōficiantur, quo termino elapſo, niſi aliter, propter Eccleſię neceſſitatem Epiſcopo videatur, diruantur.

68. Nullum denique nouum altare, aut capella in quauis Eccleſia extruatur, non conſulto prius Epiſcopo, à quo facultas obtineri debet, ędificijque forma pręſcribenda. qui ſecus faxit, pœna vnciarum decem Eccleſię fabricę mulctetur. *c. quicūque 16. q. 1.*

TA-

TABERNACVLVM.

69. TAbernaculum ad Dominici corporis augu-
ſtiſſimum Sacramentum aſſeruādum, vel in ara maxima, vel in ſacello proprio, vbi id Epiſcopus cenſuerit, collocetur: longitudine ſit vt minimum palmorum quatuor, latitudine duorū cum dimidio, benè firmum, concinnèque compactum.

70. Panno ſerico rubei, vel albi coloris intrinſecus circumueſtiatur: extrinſecus verò decenti conopeo contegatur, quòd pro dierum feſtorum varietate mutetur.

Benè præterea clauſum ſit, ad eum quoq; modum aptatum, vt inde ſacra pyxis commodè depromi poſſit, nec propterea ſuper altare aſcendere neceſſe ſit.

1. Porrò clauis Tabernaculi deaurata ſit cum ſerica cordula, & flocculo rubei coloris: quod ſi fortè Tabernaculum alio tempore, quàm dum Miſſæ ſacrificium peragitur, aut populo ſacra Euchariſtia diſtribuitur, clauſum non fuiſſe reperiatur; Parochus, aut Beneficiatus per mēſem ſuſpendatur ab adminiſtratione Sacramētorum; & vnius vnciæ pænam ſoluat.

In eo nec ſacræ Sanctorū reliquiæ, nec oleum infir-

infirmorum, nec denique aliud quidpiam, ſed Sacroſancta ſolum Euchariſtia in ſua pyxide adſeruetur.

73. Pyxis verò ipſa argentea ſit, intrinſecus inaurata, ac leuis, quò fragmenta colligi commodè poſſint: amplitudine autem ſit, quam Eccleſiæ ratio, & communicantium numerus poſtulat.

74. In ea quinque ſaltem particulæ cõſecratæ ſeruentur, quæ octauo quoque die omnino renouentur ex hoſtijs recenter confectis. Parochus, qui hac in re negligens fuerit, tarenis decem multabitur.

75. Ante Tabernaculum ſemper lampas accenſa colluceat, non è latere, ſed è regione ſuſpenſa, puriſſimoque ex oliuis expreſſo oleo nutriatur.

DE SANCTORUM RELIQUIIS.
Cap. III.

76. SAnctorum reliquiæ, Sancti Spiritus olim habitaculum, in decoris vaſculis, ac eleganti opere confectis, honeſtiſſimiſque locis præcipua cum diligentia ſeruentur, vel in Eccleſia, vel in Sacriſtia, armario pro reliquiarum numero extructo, decenterque exornato; quorum nomina

cum

cum loculis, quibus includuntur, inſcripta ſint, tum etiam in tabella ſeorſim referãtur. ſacra verò Pignora manibus tractandi nulla laicis detur facultas.

77. Solemnibus tantum diebus publicè, nõ tamen ad quæſtum exponantur, thure, accenſis lampadibus, cereiſque decorentur.

78. Doceant Parochi perſæpè quomodo Sancto-
Trident. rum reliquiæ, quæ tanquam pignora in terris re-
ſeſſ. 25. *de inu. & ven. & rel. Sanct.* licta, futuram reſurrectionem promittunt, ſi vt
veneranda, imagineſque ſacras non propter ſe,
Cõc. Nicen. 2. act. 3. & 4. ſed propter ea, quæ repręſentant, colendas eſſe.

Reliquias in quauis Eccleſia conſeruatas, ad
79. alium locum transferri ſine Epiſcopi licentia nõ permittant, illas vel illarum particulas donare, concedere, & alienare nemini liceat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna. ad ægrotos etiam nullo modo deferant.

80. Nouæ reliquiæ, nouaque miracula abſque E-
Trident. ibid. piſcopi approbatione nõ admittantur, nec etiam depingantur.

81. Crucem, aut Sanctorum imagines in locis immundis omnino depingi prohibemus.

DE

DE VASCVLIS SACRORVM OLEOrum. Cap. IIII.

12. TRia ſint in Eccleſia, ſiue Parochiali, ſiue Sacramentali argentea vaſcula, vel ſaltem ſtannea, intrinſecus rotunda: in primo, oleum Cathecumenorum: in ſecundo, Sacrum Chriſma: in tertio oleum Infirmorum aſſeruentur. prima duo in alia capſula, ſiue argentea, ſiue ſtannea, ſimul includantur, tertium verò in alia rotundà firmè cum ſuo pede includatur, vt manibus congeſtari, cum vſus venerit, decenter queat.

13. Nuſquam autē præterquam in Eccleſia, atque adeo in ipſo maiori ſacello extructo ad id armariolo cuſtodiatur. cuius armarioli clauem ſolus Curatus habeat apud ſe, quam nec Clerico quidem concredat.

14. Totidem præterea ex argento item, vel cupro habeat in eum modum facta, quibus ſacra olea recentia à Cathedrali excipienda per aliquem Sacerdotem, vel Clericum in ſacris conſtitutum, in die Cœnæ Domini curet.

DE SACRA SVPELLECTILI.
Cap. V.

85. SAcra demum vniuſcuiuſque Parochialis, aut Sacramentalis Eccleſiæ ſupellex, his ſaltem rebus conſtare debet, Calicibus duobus, Patenis totidem, Purificatorijs decem, Corporalibus quatuor amito illitis, Burſis duabus, totidem tintinnabulis, pacis ſigno, vaſe æreo ſtanno illito ad Calices, ceteraſque huiuſmodi ſacras res abluendas vrceolis quàmpluribus, qui tamen ſtannei ne ſint, lectorilis, eiuſque integumentis puluinaribus, ferro benè ſignato ad hoſtias conficiendas, ceteriſque ad hoſtias cõcinnandas, ſeruandaſque, thuribulo, ac nauicula ſiue argentea, ſiue ærea, triangulo ligneo nigri coloris ad luminaria ſuſtẽtanda dum fit officium Sacræ hebdomadæ, feretro, libris antiphonalibus, Miſſalibus, Breuiarijs, Diurnis, Ritualibus, altaris ac Sacerdotis indumentis quinque colorum, rubei, albi, violacei, viridis, & nigri; ſingulorum denique altarium propria, congruaque ſupellectili.

Atque hæc quidem de Eccleſijs in vniuerſum. ſi qua verò ſacella ſunt, aut Eccleſiæ in agris, vijſque procul ab Oppidis, ſeruari quali poteſt cultu etiam atquè etiam exoptamus, ne Sancto-

rum,

rum, quorum nomini dicata illa ſunt, feſti dies intermittantur, atque ita ipſorum memoria ex hominum animis paulatim effluat, ac dilabatur.

87. Mandamus igitur Beneficiatis, qui huiuſmodi Eccleſiarum fructibus fortaſſis aluntur, aut ſi ij deſint, Vicarijs foraneis, vti curent diligenter, ex eleemoſynis fidelium, ac pecunia, quam ex mulctis non ſeruantium feſtos dies redegerint, vt ſaltem illa non deſint: tectum quo pluuiæ arceantur, fores clauſæ, vt brutis animalibus aditus in Eccleſiam non pateat, atque in foribus ipſis paruæ feneſtellæ in modum cratis; vnde ad altare preces fundere fideles poſſint, altare verò ipſum vnicum totum ad eum modum depictum, vt circumueſtitum de more videatur pallio, & mantilibus: eæ verò quæ ad hunc ſaltem modum retineri non poſſunt, profanentur, diruanturque, vt eo loci Crux erigatur.

88. Vaſa, ac aliæ res ſacræ pro quocunque debito, pignori ne dentur, nec deſtruantur, aut deformentur etiam pro realia conficienda, niſi de Epiſcopi licentia.

89. Res ſacræ, prout ſunt Corporalia, Purificatoria, & ſimilia, necnon & imagines, quæ proceſſionaliter per loca duci ſolent, in Eccleſijs,

non in laicorum domibus conſeruentur: Corporalia verò, & Purificatoria per Sacerdotes, vel Clericos in Sacris cõſtitutos ſæpius lauentur, deformata comburantur, & cineres in ſacrarium mittantur.

90. Vtque ea omnia, quæ ad diuinum Miſſę ſacrificium ſunt neceſſaria, decenti munditia, & nitore tractentur, curabunt Sacerdotes à nobis in tota Diœceſi deputati, vt Eccleſiarum Rectores omni circa id diligentia ſe ſe gerant. negligentes pœna duorum tarenorum pro qualibet vice ipſis Sacerdotibus applicanda, mulctentur.

PARS

PARS SECVNDA.

DE SACRAMENTIS.

ABSOLVTIS ijs, quæ ad Eccleſiæ materialis cōſtructionem, ornatum, cultumque pertinent, ad ea gradum facimus, quæ ad ædificationem Spiritualis Templi Dei, quod ex Apoſtoli ſentē- 1. ad Tim. c.4.
tia, Summus nos Sapientiſſimus noſtræ ſalutis Architectus Chriſtus Ieſus inſtituit, de cuius latere ſeptem Eccleſiæ Sacramenta fluxère, virtutemque ſanctificandi accepère.

DE BAPTISMO.
Cap. I.

INter quæ primum locum Baptiſmus obtinet, per quem Chriſtum induentes, noua efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem cōſequentes. quamobrem vt tanti Sacramenti ſuſceptio, collatioque rite, atque, vt decet, obeatur, hæc ſtatuenda decreuimus.

1\. Infantes ante nonum diem, ſub pœna excommunicationis à parentibus incurrenda, ad ſuſcipiendum Baptiſmum ad Eccleſiam ferantur, nec tamen ante Solis ortum, aut poſt Occaſum, niſi periculum immineat: at ſi fortè grauis aliqua cauſa aliter fieri poſtularet, id ne fiat, niſi ab Epiſcopo, aut eius Vicario habita facultate.

2\. Curatus baptizans, ſuperpelliceo, & ſtola albi coloris vtatur, ac diligenter animaduertat, num infantes ad Parochiam ſuam pertineant; nec alijs quibuſuis hoc Sacramento miniſtret, niſi ſorte periculum vrgeat.

3\. Si mares, fœminæque baptizandi ſunt, à maribus incipiat, curetque vt Sanctorum, Sanctarumquè nomina, non gentilium imponantur.

Trid. ſeſſ. 24. de Reſor. c. 2.

S. Car. tit. de Bapt. c. 2. cap. rum licet, de conſecr. diſt. 4.

4\. Vnicum patrinum, ac matrinam vnam à parentibus deſignatos admittat, non Monachos, nec Regulares; qui ſi fortè orationem Dominicam, ac ſalutationem Angelicam ignorauerint, aut Sacramento Confirmationis non communiti, aut excommunicati, vel interdicti, peregrini, & hoſpites ignoti fuerint, aut in Paſchate non communicauerint, aut decimumquartum annum non attigerint, vel ſana mente non fuerint, à ſuſcipiendis è ſacro fonte infantibus repellantur.

Iubeat

5. Iubeat Curatus, Compatres ſine armis, & Commatres ſine vanitate huic tantæ rei adeſſe, eoſdemquè ſpiritualis cognationis, quam contrahunt, necnon & muneris, quod ſuſcipiunt, & qualiter curare debent, vt ab eis ſuſcepti, rudimentis chriſtianæ fidei inſtituantur, admonère nō negligat, caueatque ne ſacram olei vnctionem, aut mappam vllo pacto contingant, & linteola, quibus baptizati caput abſtergitur, purgata ad ſacrum vſum applicet, vel comburi curet, dummodo nunquam laicis tradantur.

6. Librum habeat, in quem referat nomina baptizati, patris, & matris, compatris, atque commatris, viciniam in qua parentes habitant, diem natiuitatis, ac baptiſmi, iuxta formam in Rituali Romano definitam.

7. Si qui verò domi ob vitę periculum ab Obſtetricibus, alijſue baptizati fuerint, ſolemnibus baptiſmi cæremonijs ne priuentur; quare ad Eccleſiam deferantur, & ea, quæ in Romano Cathechiſmo præcipiuntur, accuratè ſeruentur, & in baptizatorum librum referantur, addito Cathechiſmi die. Nec expoſitorum conditio prætermittenda eſt: eos igitur incertis parentibus natos Curatus in libro adnotet, iuxta formam in Rituali Romano definitam.

8. Doceat Curatus non in commune ſolum omnes, ſed priuatim etiam ſingulas in Eccleſia obſtetrices, quæ verborum forma adhibenda ſit in baptiſmo, vt ritè, ſi vſus venerit, Sacramentum conferatur, quando vitæ periculum infantibus immineret: periculum etiam faciat, an ritè eſſent aliquando baptizaturæ.

Nulla verò mulier, ſub pœna fuſtigationis, obſtetricis officium faciat, ſine noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis, aut foranei facultate in ſcriptis obtenta; quam tamen ipſe nulli impartietur, quā non prius diligenter examinauerit. moneatque ne baptizare audeat, niſi vrgente neceſſitate, & ſi fieri poteſt, adhibitis etiam minimum duobus teſtibus, qui poſtea apud Curatum de ea re fidem facere poſſint.

9. Si poſt accuratam, atque diligentem inquiſitionem, dubius adhuc hæret Curatus, an expoſitus aliquis fuerit ante baptizatus, cum conditione baptizet, dicens, Si non es baptizatus, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, &c.

Eodem Rituali Romano, quo Cathedralis Eccleſia vtitur, ſingulæ etiam totius Diœceſis Eccleſiæ vtantur: nec quidpiam pro libito, aut pro deuotione in cathechizando, vel baptizando addant, minuantue.

10. Poſt nouum oleum conſecratum, ab vſu vete-

ris

ris omnino abſtineant, ſed in lampade combura- *De conſecr. diſt. 4.*
tur, bombix verò in ſacrario.

DE CONFIRMATIONE.

Cap. I.

DE Sacramēto Cōfirmationis agimus, quod Sanctus Euſebius, manuúm impoſitionis *Trid. ſeſſ. 7. can. 1.* Sacramentum appellat, illudque aſſerit magna veneratione tenendum, quod ab alijs perfici non poteſt, niſi à ſolis Summis Sacerdotibus, hoc eſt, Epiſcopis, & quidem quod nunc in confirmandis fidelibus manus impoſitio tribuit ſingulis; hoc tunc Spiritus Sancti deſcenſio in credentium populo donauit vniuerſis.

11. Quare vt ritè, & decenter ſuſcipiatur, doceat Parochus, ſiue Sacramentalis Eccleſiæ Præfectus die dominico præcedente, futuram huius Sacramenti adminiſtrationem, ac de rei grauitate breuem orationem ad populum habeat. Moneat etiam ſerio eos, qui per negligentiam à Sacramēti huius ſuſceptione ſe ſe abſtinent, in pœnas canonicas incidere, eos verò, qui ſeptimum annum non attigerint, non confirmandos. *Cath. Roman. de confirm.*

12. Doceat adultos, cùm confirmandi ſunt, confeſſione peccatorum expiatos accedere debere, & ſi mane adminiſtretur, ieiunos, lota facie, ho-

mines ſeorſum à mulieribus ; mares à viris ; fæminas à mulieribus ſuſcipi debere, niſi à Sacerdotibus (quod magis eſſet conſentaneum, & nos etiam atque etiam optamus) vtique ſuſcipiantur ; ſuſcipientes natu maiores quàm confirmandi , eoſdemque confirmatos eſſe oportère , non excommunicatos , non ignorantes orationis Dominicæ , & ſalutationis Angelicæ .

Pont. Roman.

13. Confirmati , ab aliquo Sacerdote benè mundentur. ablutionis verò aqua in Sacrarium proijciatur .

In librum (qui ad hoc ſolum comparãdus eſt) Confirmatorum nomina, quæ ſi turpia, ridicula, aut ethnicorum , immutanda erunt , necnon & compatrum referantur , ex quo exſcribantur nomina eorum , qui eo anno confirmati fuerint , atque à Parocho , vel à Vicario foraneo , Vicario Generali noſtro tradantur, quæ poſtquam in manus Epiſcopi peruenerint , in Epiſcopali cuſtodiantur archiuio .

DE SACRAMENTO POENITENTIA. Cap. III.

Trid. ſeſſ. 6. c. 13.

POenitentiæ Sacramentum , ſecunda poſt naufragium tabula , lauacrum , quo ſordes

des animæ poſt Baptiſmum contractæ abluuntur; remedium, quo cordis vulnera ſanantur, amiſſa per peccatum gratia recuperatur, atque ad cœleſtem patriam aditus reſeratur, tanta diligentia, ſtudio, induſtriaque adminiſtrandum eſt, quanta poteſt excogitari maxima: cumque iudicium ſit, in quo cauſæ ad conſcientiam pertinentes agitantur, ſumma in primis iudicibus eligendis adhiberi cura debet, ne Confeſſariorum aut imperitia, aut (quod auertat Deus) impietate, fidelium animis periculum diuina cum offenſione creetur.

14. Huius ergo rei gratia ſtatuimus, ne quiſpiam ſiue Regularis ille ſit, ſiue Sæcularis Sacerdos, confeſſiones etiam puerorum, vel ſæpiſſimè confitentium excipiat, niſi præuio examine de illius ſcientia facto periculo, ab Epiſcopo facultatem obtinuerit. qui ſecus fecerit, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat, alijſue pœnis Epiſcopi arbitrio infligendis ſubiaceat. *Trid. ſeſſ. 23. c. 15.*

15. Confeſſarius nullius vel viri vel mulieris confeſſiones audiat in priuatis ædibus, niſi vrgente neceſſitate, ſed nec fœminarum ante Solis ortum, aut poſt Occaſum, nec in angulis Eccleſiarum, ſed in confeſſionalibus Cathedris *S. Carol. de pœnit. c. 52.*

tan-

tantum. ſi quæ verò domi propter infirmam valetudinem audiendæ erunt, reſeratis foribus, atque aperto cubiculi oſtio, itaut ab ijs, qui domi fuerint, conſpici poſſint, audiantur.

16. Atque vt ritè, & cũ fructu Sacramentum hoc obeatur, antequam pœnitens aperire peccata incipiat, Confeſſarius accuratè ſtatum confitentis, & profeſſionem exquirat, caueatque ne interrogando quæ non oportet, doceat potius peccata, quæ committat, quàm ad ſuorum deteſtationem impellat.

Interroget, an articulos fidei quantum ſatis eſt norit, quod ſi neceſſaria ignorare compererit, abſolutionem ne impartiatur, niſi ea didicerit. illudque ſummopere animaduertat, vt pœnitentes ad confitendum cordis peccata admoneat, ne ob illorum omiſſionem, integritas confeſſionis offendatur. Nec verò ſtando, ſed tanquam Iudex pro tribunali ſedendo audiat, atque elata ſuper caput pœnitentis manu, abſolutionem pronunciet.

17. Eos ne abſoluat, qui cum malè parta ſoluere poſſint, non reſtituunt, qui legatas pietatis cauſa pecunias ab ijs, quorum hæreditati ſuccedunt, non ſoluunt; bona eccleſiaſtica occupantes, domos ad ludendum expoſitas tenentes, qui falſo teſtimonio famam proximi læſerint, niſi ſatisfecerint;

cerint; qui edicto de re aliqua reuelanda ab Epiſcopo promulgato, eam non reuelauerint; qui proximas mortaliter peccãdi occaſiones cum teneant, non ſuſtulerint; qui demum ab alio Confeſſario merito fuerint reiecti.

18. A caſibus Epiſcopo reſeruatis neminem temerè abſoluat; cum verò ex particulari conceſſione, ſiue Pontificis Maximi Iubilæi, ſiue Bullæ Sanctæ Cruciatæ, ſiue ipſius Epiſcopi abſoluẽdi à reſeruatis facultatem habuerit; in irregularitatibus ne diſpenſet, niſi id ſibi expreſsè conceſſum fuerit.

19. Confeſſarijs omnibus facultatem à peccatis, in quibus ipſi participes fuerint, abſoluendi omnino prohibemus.

Vota, vbi ex facultate mutare poteſt, in æquiualentia commutet, & non extra confeſſionem.

20. Confeſſarij eadem omnes abſoluendi forma vtantur: cuius vis etſi in ijs tantum poſita ſit verbis, (ego abſoluo te) ea tamen, quæ præmitti, ac ſubijci à doctis pijſque viris ſolent, negligenda non ſunt. quare poſt integram peccatorum confeſſionem à pœnitente factam, & dictis illis verbis, Ideo precor Beatam Mariam &c. acceptataque iniuncta pœnitentia, Confeſſarius dicat, Miſereatur tui omnipotẽs Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indul-

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. deinde manu dextra ſuper caput pœnitentis extenſa, ſubiungat, Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius mihi indigniſſimo conceſſa, te abſoluo in primis ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum, & indiges, deinde ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Poſtremò manu contracta pergat dicens, Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare.

21. Cum pœnitentias pecuniarias pœnitenti Confeſſarius imponēdas iudicauerit, pecuniarum diſtributionem, etiam pro Miſſarum celebratione, nullo modo ipſe ſuſcipiat.

Si à pœnitentibus, pecuniarum, aliarumue rerum reſtitutio ſibi commiſſa fuerit, infra ſex dies (abſentiæ ceſſante impedimento) id adimpleat; aliàs ipſo facto facultate confeſſiones audiendi priuatus intelligatur.

22. Auditæ cōfeſſionis teſtimonium propria manu

nu ſubſcriptum, ſigilloque munitum, petentibus ne neget Confeſſarius.

23. Cum tum ex Tridentini Concilij decreto, tum immemorabili Eccleſiæ more ſoleat ab Epiſcopis nonnullorum grauiorum caſuum abſolutio reſeruari, ne facilitas abſolutionis facilitatem pariat peccandi, infraſcriptos nobis caſus reſeruare decreuimus, à quibus Sacræ Congregationis decretis inhærentes, præcipimus nequis ſæcularis, aut regularis Sacerdos ab ijs abſoluere audeat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, præterquam in caſibus à iure ſtatutis; ſed ad Epiſcopum, ſeu eius Vicarium in Vrbe, in Diœceſi verò ad Vicarios foraneos, quibus facultas tribuitur, remittant. *Trid. ſeſſ. 14. c. 7.*

1. Homicidium voluntarium committentes; prolem ſuffocantes, & abortum procurantes.
2. Raptores Virginum.
3. Beſtijs abutentes.
4. Inceſtuoſi in primo, & ſecundo gradu.
5. Sortilegia, & ſuperſtitiones exercentes.
6. Parentes percutientes.
7. Notarij legata pia non denuntiantes.

24. Rectoribus autem quarumcũque Eccleſiarum præcipimus, vt in Sacriſtia, vel alio loco apto Bullam Cœnæ Domini, ac tabellã prædictorũ caſuũ Epiſcopo reſeruatorum affigi, ac retineri curent.

Adhæc

25. Adhæc vt accuratius à Cōfeſſarijs tàm neceſſarium Sacramentum pertractetur, & vt Clerus noſter vniuerſus ad ſacrarum rerum ſtudia magis excitetur, ſtatuimus vt ſingulis hebdomadibus, die Iouis, aut alia commodiori poſt Veſperas in maiori Eccleſia cuiuſque loci noſtræ Diœceſis, Sacerdotes omnes, & Clerici in ſacris conſtituti conueniant, & duo, vel tres caſus cōſcientiæ gradatim ab vnoquoque proponantur, qui caſus per octo dies antea in Sacriſtia, & vnuſquiſque in eorum ſtudium incumbere poſſit, affigantur, quibus propoſitis, Sacerdos Præfectus ad id vbique ab Epiſcopo deputādus de ſingulis ſingulos propriam ſententiam interrogabit, ordine quo ſedebunt, & omnibus auditis, Proponens opinionem ſuam afferet, dubia latius explicabit, ac doctrinam auctoritate corroborabit. Demum Præfectus rem definiet, diuerſas Doctorum opiniones conciliabit, vera à falſis ſecernens, veriorem, & tutiorem doctrinam amplectens, cuius deciſionis ſummam Cancellarius adhoc deputādus notam faciet in libro, Epiſcopo in viſitatione præſentando. Qui abſque legitimo impedimento à Præfecto approbando, abſuerit, pœna duorum tarenorum Sacriſtiæ eiuſdem Eccleſiæ applicanda mulctetur, quam Vicarij omnino perſolui curabunt.

DE

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

Cap. IIII.

SAnctiſſimum, atque auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo omnium Sacramentorum Auctor, ac totius Sanctitatis fons, Agnus ille Dei tollens peccata mundi incruentè à Sacerdotibus immolatus Chriſtus Dominus ineffabili quodam modo continetur, non hominibus modò, ſed etiam Angelis reuerendum eſt; eius enim Corpus, & Sanguis eſt, qui ſupra Cœlos eſt: quamobrem nulla tanta eſſe poteſt ſiue ſpiritualis animæ munditiés, ſiue eorum, quæ ſub aſpectum cadunt, quæ non infinitis partibus, Sacramenti huius dignitate minor ſit. Verum vt ſi non ea, quæ par eſt, ſaltem ea quæ noſtræ imbecillitati cōceditur, veneratione diuinum hoc Sacramentum tractetur, hæc ab omnibus ſeruari præcipimus.

26. Ac primum quidem Tabernaculum ad Sacrã hoſtiam publicè proponendam, cum quadraginta horarum ſupplicatio habetur, ſphæram habeat in vertice argenteam, aut auream, in qua pellucido vitro, aut cryſtallo Sacra hoſtia includatur; lunulam itém argenteam intra ſphæram habeat ad eum modum factam, vt aperiri facilè poſſit,

ad

ad fragmenta, ſi qua fuerint, colligenda.

Eccleſiæ ſacellum,& altare,in quo exponitur, decenter ornetur, ita tamen, vt profanæ picturę, aulaea, veſteſque omnino remoueantur.

Cum primo ſupplicationis initio proponitur Sacramentum, atque iterum ſub finem proceſſio intra Eccleſiam cum ſtatis Orationibus, cereiſq; de more accenſis fiat.

In altari cerei mediocri craſſitudine, ac longitudine, minimum ſex; lampades verò tres ante altare ſuſpenſæ colluceant.

Clerici ſaltem duo ſuperpelliceo induti aſſiſtant, quorum erit cereos, lampadeſque emungere, atque importunas confluentium collocutiones, cęteraque loci, ac temporis ſanctitati nõ congruentia prohibere.

27. Sodalitiorum Confratres ad orationem ſaccis induti accedant; id quod etſi reliquo anni tempore, vt neceſſitas exegerit, vel occaſio tulerit, fieri maximè cupimus, atque adeo hortamur, nullo tamen modo in ſancta hebdomada Paſſionis Dominicæ prætermitti volumus. quare in viſceribus Ieſu Chriſti Domini noſtri obſecramus, atque mandamus, vt poſt Veſperas Dominicæ Palmarum, poſt concionem de hac re habitam Senatus, populuſque ad ſupplicationes quadraginta horarum peragẽdas ſe præparent. ac prima

qui-

quidem hora Epiſcopus cum Canonicis in Cathedrali, deinde Optimates, ac deinceps Parochi cum ſuis deuotè, attentè, & feruenter orent, quò ſalutiferæ Paſſionis eius vberes fructus percipere mereamur.

In reliquis verò Diœceſis noſtræ Vrbibus, & Oppidis, idem quoad fieri poterit ſupplicationis ordo ſeruetur.

28. Illis verò in locis, in quibus continua per totum annum oratio à nobis inſtituta eſt, cum in Eccleſiâ non Sacramentali habenda erit, deducatur in ea Tabernaculum, claue penes Cappellanum conſeruanda obſeratum, vt nocte decenter Sanctiſſimum Sacramentum conſeruetur, orationis verò tempore ſaltem vnus Clericorum aſſiſtat.

DE EVCHARISTIAE MINISTRAtione.

29. PArochi ſæpius frequentiorem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti vſum admoneant. licet enim teneatur quiſque ſemel in anno peccata confiteri, & in Paſchate ſacram refectionem ſumere, qui ſæpius, & minimum in ſolemnioribus feſtis communicauerit, plus mereri, nulli dubium; præcipuè vero doceant, vt quoties

longum iter, remque aliquam arduam quis aggredietur, aut in aliqua afflictione reperietur, ad huius Sacramenti ſumptionem, tanquam præſeruatiuum remedium recurrant. quod etiam mulieres proximè pariturae præſtabunt.

30. In Paſchate hoc Sacramentum ijs tantum, quos ad ſuam Parochiam pertinere nouerint, miniſtrent.

31. Et ne præceptum Paſchalis cõmunionis, quod à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè erit adimplendum, negligatur, initio Quadrageſimæ ouium ſuarum Parochus numerum deſcribet, in Dominicis verò prima & quinta Quadrageſimæ, ac in Secunda die Paſchæ Concionatores ad id feruenter populum excitabunt; eos, qui propriæ ſalutis immemores, contumaces erunt, in Dominica poſt octauam Paſchæ monebit, vt intra ſex dies peremptoriè confiteantur, & communicent, ſub pœna excommunicationis: quibus elapſis, illorum nomina Epiſcopo remittantur, vt non ſolum à communione fidelium nominatim ſeparentur, verum etiam alijs ipſius arbitrio pœnis puniantur.

c. omnis vtriuſque ſexus ext. de pœnit. & remiſſ.

32. In Vrbe verò, vbi vnica tantum eſt Parochia, quæ eſt Cathedralis Eccleſia, & ceteræ, quæ ſacramentales appellantur, ad maiorem populi cõmoditatem deſtinatæ ſunt, quilibet in Paſchate,

vel

vel in ipſa Cathedrali Eccleſia, vel in ea Sacramentali, quæ in illa regione, ſeu quarterio, quod vocant, vbi habitant, communicet. reliquis anni temporibus, & quod ad reliqua Sacramenta ſeruetur conſuetudo, quæ hactenus ſeruata eſt. quod idem Platiæ ſeruari præcipimus. Porro Vicarius idoneos, probatæque fidei viros adhibeat, qui communicantium nomina excipiant, vt ſi qui deerunt, internoſci poſſint.

33. Qui facta ſibi ab Epiſcopo facultate, extra Parochiam, Eccleſiamue Sacramentalem deſignatam communicauerint, fidem ea de re proprio Parocho, aut Vicario faciant, eorumque nomina cum alijs, qui communicauerint, in librum huic rei deſtinatum referantur.

Atq; vbi fieri commodè poteſt, maribus ſeorſim à fœminis miniſtretur, Clericis propè altare, Laicis verò loco ab altàri remotiori.

34. Pueros tunc primum ſumpturos, Parochus, cuius id munus eſt, diligenter examinet, & quæ cæleſtis huius cibi præſtantia ſit, qua pietate, religione, animique puritate, ac præparatione ſumendus ſit, inſtruat accuratè. Eoſque primò communicare ſine proprij Parochi facultate omnino prohibemus.

35. Vinum Laicis ad ablutionem ne miſceatur,

ſed aqua tantum, eaque in vaſe, quod neque cōſecratus calix ſit, neque ad eius formam factum. id tamen ſolum in hunc vſum in Sacriſtia mundum ſeruetur.

36. Si qui ſunt, quos Paſchali tempore legitima cauſa extra patriam diſtinuit, cum primum in patriam remearint, litteras eius Sacerdotis manu conſcriptas, ſigilloque munitas, in cuius Eccleſia communicarint, afferant, quæ adimpleti præcepti fidem faciant.

37. Dum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtratur, ne vas aliquod ad pecuniam excipiendam exponatur, vt ne eleemoſyna directè, aut indirectè extorqueri pro communione videatur.

Quod ſi in Miſſa miniſtretur, id fiat poſt communionem, antequam purificationem Sacerdos accipiat. quod in Eccleſijs non Sacramentalibus ſemper obſeruari præcipimus. ſi verò in ſacramentalibus poſt Miſſam fieri contigerit, Sacerdotalibus indumentis, niſi fortè excepta caſula: alijs verò temporibus ſuperpelliceo, & ſtola indutus Sacerdos miniſtret, & ante communicandos linteamen extendi curet.

38. Miſſæ demum ſacrificio peracto, & ablutione ſumpta, illud diligenter aduertat, præ-

ſertim

ſertim cum multi communicauerint; ne Sacramenti reliquias vel fragmenta, quamuis exigua, quæ ſuperfuerunt, accipiat ipſe, ſed in diem alterum aſſeruentur, vel à ieiuno Sacerdote ſumantur.

QVAE SERVANDA SVNT, CVM SOlemni pompa circumfertur Sacra Euchariſtia.

39. SAcratiſſimi Chriſti Corporis feſto die, vbi Epiſcopum adeſſe contigerit, ipſe, ſi manibus geſtari mos eſt, Sacramentum pellucida cryſtallo incluſum, manibus ferat, aut is, qui, abſente Epiſcopo, ſolet: alibi autem à Vicarijs, vel alijs, prout conſuetum eſt, id muneris ſuſcipiatur. Parochi vero, & Eccleſiarum Sacramentalium præfecti die Dominico, qui proximè præit, populum ad modeſtè, & cum pietate conueniendum, ſerio adhortetur.

Laici, quorum vmbellam deferre intereſt, ſine chirotecis, quod quoties ad ægros defertur, erit obſeruandum.

Canonici intorticijs accenſis comitentur, reliqui vero Clerici mediocribus cereis.

40. Omnes de Clero, cuiuſuis ordinis, & gradus prædictæ proceſſioni intereſſe præcipimus. qui non paruerint, grauiter punientur. eis

vero qui eiuſmodi pompæ, vel alteri, quæ per Octauam fieri conſueuit, præſentes fuerint, quadraginta dierum indulgentiam impartimur.

41. In proceſſione tandem ea omnia ad verbum ſeruari mandamus, quæ in Romano Rituali poſtremò edito, ſtatuuntur.

Viæ, quibus ſacra Hoſtia deferenda eſt, multòque magis Eccleſiæ, aut ſacella aulæis pictura intertextis exornentur.

Caueatur tamen ne ad viarum parietes exponantur tabulæ, aliaque id genus, quæ ad pietatem nullo modo ſpectant.

CVM AD AEGROS DEFERTVR.

42. *Trid. ſeſſ. 13. c. 6.* CVm verò ad grauiter ægrotantium domos ſacra Hoſtia deferenda eſt (nõ enim ob leuem quamlibet ægritudinem id faciendum eſt) quod non ſpe lucri, ſed gratis omnino præſtari debet, certis campanæ ſignis populus conuocetur, eoque in Eccleſia coacto: in paruula argentea pyxide in hunc vſum parata, Sacramentum Euchariſtiæ reponatur, thureque adhibito pompa incedere occipiat, in qua faces aliquot præluceant, ac duæ præſertim laternæ, deinde Sacerdos mozzetta albi coloris vltra ſuperpelliceum indutus, ſub vmbella ſacram pyxidem ferens incedat,

cedat, reliqui verò piè, religioſequè comitantes ſubſequantur.

Præeat tintinnabuli ſonitus, quo ad reuerentiam, venerationem, debitamque diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramēto adorationem omnes excitentur, atque inter eumdum Sacerdos Sacramentum ferens Pſalmos pœnitentiales alternatim cum miniſtris, qui duobus pauciores eſſe nō debent, canat, vel recitet. Vbi verò bini haberi, pro Eccleſiæ, vel Oppidi tenuitate, miniſtri nō poſſunt, ſaltem vnus ſuperpelliceo benè mundo veſtitus, comitetur.

43. Solus Parochus, aut Eccleſiæ Sacramentalis Præfectus Sacramentum deferat. quòd ſi legitimè fuerit impeditus, ei Sacerdoti id muneris cōmittat, qui confeſſiones audiendi facultatem habeat, & non alij. Curatus verò qui ſecus faxit, vnius aurei pœna mulctabitur prima vice, ſecunda Epiſcopi arbitratu grauiores pœnas dabit.

44. Interdiu ſolum ſacra Euchariſtia deferatur, niſi aliquando neceſſitas ob mortis periculum ſecus exigat.

Duæ ſacræ particulæ ſemper deferantur, ne vacua pyxis in Sacerdotis ad Eccleſiam reditu adorari contingat: cum verò ad locum aliquem longè ab Eccleſia remotū eundum eſt, vnica tantum particula feratur, deinde verò Sacerdos ſine

ſuperpelliceo, candelis, ac tintinnabulo reditum ad Eccleſiam ferat. Aduertat tamen ne fragmenta remaneant, quòd ſi ſuperfuiſſe animaduertat, infirmo ſumēda curabit, antequam quidquam ablutionis deglutiat.

Curet Sacerdos Sacramentum delaturus, vt ab ægroti domeſticis, aut ſodalibus cubiculum in quo æger iacet, adornetur, non nihil etiam odoris incendatur; eiuſdemque familia extra ianuam domus cum cereis obuiam prodeat.

45. Hortamur autem, atque in viſceribus Chriſti Domini obnixè rogamus omnes patres, matreſque familias, vt cum cāpanæ ſonitum audierint, ad Eccleſiam conueniant, quo tantū Dominum, ac Regem Regum qua decet religione comitentur, eos verò quos obuiam fieri contigerit, monemus, atque obteſtamur, vt relicta id temporis omni alia cura, huic rei, vt addecet, præuerti velint.

46. Aegroto ex nauſea non ſumenti, adhibita pyxide benedicatur, aut etiam ſacra Hoſtia oſtendatur, quæ tamen ob eam tantum cauſam non deferatur. tangendi, aut oſcula libandi poteſtas fieri nullo pacto debet.

47. Longa ægritudine laborantibus, etiam extra periculū mortis, Sacræ Euchariſtiæ frequentius ſumendæ deſiderio flagrantibus, debita præpa-

ratione

ratione expiatis, Curatus tam ſalutare adiumentum ne deneget.

48. Poſt reditum ad Eccleſiam, illata in proprium Tabernaculum ſacra pyxide, Sacerdos indulgentias ijs omnibus conceſſas, qui Sacerdoti Euchariſtiam ad ægros deferenti ſe comites adiunxerint, promulget.

Demum hortamur vt eis in locis, in quibus Sodalitas ad Sacroſanctum Chriſti Domini Corpus comitandum adhuc non eſt inſtituta, quàm primum inſtituatur, ne Chriſti fideles immenſis illi conceſſis Indulgentijs priuentur.

DE EXTREMA VNCTIONE. Cap. V.

QVò aduerſus graues, plurimaſque Dæmonum inſidias in extrema vitæ noſtræ hora muniamur, & peccatorum reliquiæ, ſi quæ fuerint abſtergantur, atque animi mæror, dolor, angorque, quibus iam iam morituri affici ſolent, pellantur, aut mitigentur, Sacramentum extremæ Vnctionis à Chriſto Domino inſtitutũ eſt. noſtrum igitur erit curare, vt ritè, & ad eum modum adminiſtretur, vt ſuo effectu non careat.

Trident. ſeß. 14. de ſacr. extrem. vnctio. Cathec. Roman. n. 46. Iacob. c. 5.

49. Curet Parochus, aut Curatus, vt extremę huius Vnctionis Sacramẽtũ ſolus ipſe adminiſtret, nec

alteri

alteri Sacerdoti committat, niſi aliter neceſſitas vrgeat; atque adeo Sacerdoti ad hoc approbato.

50. Antequam ſacrum oleum deferatur, curet in cubiculo moribundi parari menſam mantili ſtratam candido; vas item, in quo ſit bombix, aut ſaltem ſtupa: ad abſtergendas partes inunctas; panis medullam ad Sacerdotis digitos detergendos,& aquam ad manus illico abluendas; ceream item candelam, quæ cum inunctio fiet accenſa lumen exhibeat vngenti. Hæc omnia dictæ iam menſæ lectulo infirmi proximæ ſint impoſita, quò cum peruenerit Sacerdos, ſacrum item illi olei vas imponat, quod à laico nulla ratione contrectandum eſt.

51. Is, qui ſacrum oleum defert, ſuperpelliceo, & ſtola violacea ſit indutus; cum itur, Crux ſine haſta præferatur, Presbyteri, Clericique quotquot poſſunt adhibeantur: quod ſi plures haberi non poterunt, vnus ſaltem ſit omnino, qui Sacramentum conferenti miniſtret, & cum ipſo Pſalmos pœnitentiales recitet.

52. Porrò curandum eſt vehementer ne Sacramẽtum hoc eò vſque differatur, vt animam agere incipiat æger, ſenſuque, ac ratione deſtituatur prius quàm inungatur. ſi verò inter vngendum mori ægrum contigerit, caueat Sacerdos ne ſacrã vnctionem amplius proſequatur: ſi autem viuus

ne

ne ſit, an mortuus merito dubitauerit, ſub conditione perungat, ea vtens verborum forma, Si tu es viuus, per iſtam ſanctam vnctionem &c.

53. Atque vt Sacramentum hoc pueris rationis vſu carentibus, ad bellum proficiſcentibus, nauigationes etiã periculoſas obituris, mulieribus in partu laborantibus, ſontibuſque extremo ſupplicio mulctandis miniſtrandum nullo pacto eſt; ita adultis periculosè ægrotantibus, propéque moribundis, ſenio confectis etiam non ægrotis, in dies tamen morituris, qua decet charitate, ac diligentia conferendum eſt.

54. Per ſingulas membrorum vnctiones mutetur bombix, & in Sacrario comburatur: ſi qua verò pars corporis vngi ſolita deſit, propinquiori parti ſacra vnctio adhibeatur. mulieribus vero renes omnino ne vngantur. neque etiam viris cũ infirmus commodè moueri non poteſt. Demum ſiue in mulieribus, ſiue in viris, alia corporis pars pro renibus vngi non debet.

55. Si Sacerdos æger fuerit, reliquæ partes æquè ac laicis fieri ſolet, perungantur; manus vero nõ intrinſecus, ſed extrinſecus inungendæ ſunt.

56. Sacram hanc vnctionem adminiſtrans, dum ſingulas partes perungit, ſimul etiam formæ verba pronunciet, Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Deus

quic-

quicquid oculorum, ſiue manuum &c. vitio deliquiſti. non autem alius vngat, alius formæ verba pronunciet, nec in vna eademque ægrotatione ſæpius vngat.

Illud quoque animaduertendum eſt, vt dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria ſunt, inungit, non in altero eorum inungendo Sacramēti formam prius abſoluat, quàm vtraque paria membra perunxerit.

57. Vtque maiori cũ veneratione ad ægrotos deferatur, poſt primam noctis horam deferri prohibemus, niſi aliter ob imminens mortis periculum neceſſe ſit.

58. Poſt huius Sacramenti adminiſtrationem, niſi decumbens ſenſuum vſum amiſerit, breuibus, ſed efficaciſſimis verbis ad patientiam, fidem, ſpem, charitatem adhortetur. cum verò moribundus eſt, in illius animæ commendatione ſtudiosè inuigilet pietate qua decet maxima, ac deuotione ſtatas preces recitet, omneſque domeſticos moneat, vt pro moriente piè preces Deo offerant; nec ad finem vſque vitæ illum deſerat, cum in eo temporis momento de illius animæ ſalutis ſumma agatur.

59. Et quoniam in aliquibus locis noſtræ Diœceſis Parochi, & Sacerdotes, candelas, quæ à fidelibus aliquando ex deuotione, cum Pſalmi pœniten-

nitentiales recitarentur, accendendæ offerebantur, nunc iure debiti requirunt, ne vltra ſolitam eleemoſynam aliud petere præſumant, ſub pœna excommunicationis præcipimus.

DE SACRAMENTO ORDINIS. Cap. VI.

SAcramentum Ordinis, quo non omnes, ſed præcipui quidam in ſortem Domini electi in numerum Ducum, & Præpoſitorum militiæ Chriſti aſcribuntur, & poteſtatem accipiunt diſtribuendi alijs bona domini ſui, quò ritè ſuſcipiatur.

60. Cautum Parochis, ac Sacramentalium Eccleſiarum Præfectis, Curatiſque ſit, vt cum de generali ordinatione habēda edicto publico certiores facti fuerint, die Dominico, qui proximè præit, ſtata ieiunij tempora, quibus ordines miniſtrandi ſunt, ſupplicationes, ac Litanias habeant ad Deum, ne tantum miniſterium alijs credatur, quàm ijs, qui vitæ ſanctitate, doctrinæque lumine Eccleſiæ Dei prælucère poſſint.

61. Curatus Clericos, qui ſuæ fidei cōmiſſi ſunt, in Doctrinæ Chriſtianæ, & ſacrorum officiorum exercitio, eſſe apud ſe diligenter curet, eoſq; præcipuè, cum ad quemlibet ordinem ſunt promo-

uendi

uendi, de rebus ad eum ordinem ſpectantibus inſtruat.

62. Ordinandorum nomina in Eccleſia coram populo pronunciet, mox vt de Sacramenti huius præſtantia pauca quædam, ſed appoſitè præloquutus fuerit, auditores moneat, vt ſi quid habent aduerſus aliquem eorum, qui ordinādi ſunt, tum quod ad mores, tum etiam quod ad defectus ceteros, Curato occultè denunciare velint, præſertim verò quantitatem, qualitatemque reddituum, ſeu bonorum eorum, qui patrimonij titulò ad Subdiaconatus ordinem promoueri intendunt, pronunciet, vt ſi quid fraudis interuenerit, in lucem prodeat.

63. Cum initiati fuerint ad primam tonſuram, fidem faciat legitimo matrimonio natos, Epiſcopo ſubditos, Confirmationis Sacramento munitos, primorum fidei rudimentorum gnaros, atque in ſchola Doctrinæ Chriſtianæ frequentes, non facinoroſos, nullo denique impedimento prohibitos, quò minus in ſacram militiam adſcribi poſſint.

Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 4.

64. Impedimēta verò quibus prohibetur quis quò minus ad Eccleſiaſticos ordines promoueri poſſit, ea ferè ſunt, duas vxores, aut etiam vnicam viduam duxiſſe, corporis habitu, aut facie multum deformem eſſe, homicidium quoquo modo

ope-

operam præſtitiſſe, aut membrorum mutilationi, ante ætatem legitimam maiori aliquo ordine initiatum fuiſſe, aut extra tempora, aut per ſaltus, ſufficiens patrimonium, aut beneficium non habere. excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti pœna irretitum, neophitum, nothum, aut ære alieno grauatum, amentem, etiam ſi dilucida interdum habeat interualla, aut energumenum eſſe.

65. Initiandi omnes nobis aut Vicario noſtro Generali, ſi Vrbis, aut Catanenſis territorij incolæ fuerint, vno ante menſe, quàm ordinationis dies adueniat, ſe ſe ſiſtant. reliquæ vero diœceſeos, quindecim ante diebus eius loci Vicario, nobis autē, aut Generali Vicario octo ſaltem ante diebus, vt ea præſtentur, quæ nobis ad ipſorum promotionem neceſſaria eſſe videbuntur. qui ſecus fecerit, in ea ordinatione ne admittatur.

TESTIMONIA, QVAE INITIANDI omnes afferre debent.

66. PRimò, ſe legitimo matrimonio natos, ac baptizatos probabunt. quod quidem efficient, ſi ex libro baptizatorum notam ſui ipſorum baptiſmi exſcriptam, ſigilloque Parochi, aut Vicarij munitam afferent. Illud verò ſi teſtes idoneos

pro-

producent minimum tres, qui iurati dicant ſe initiandum cognoſcere, eiuſque parentes legitimo inter ſe matrimonio coniunctos, ipſumque initiãdum pro ſuo ipſorum legitimo ac naturali filio habere, æſtimareque, idque ab omnibus, qui eos nouerint, publicè reputari.

Secundò, Diœceſanos eſſe, aut originis, aut beneficij, aut diuturni domicilij ratione, iuxta Sacrorum Canonum ſanctiones. id quod niſi notorium fuerit, beneficium eo modo probabitur, ſi bullæ exhibeantur, ac prouiſio beneficij, atque inſtrumenta publica, quæ de quieta, ac pacifica illius beneficij poſſeſſione fidem faciant. Origo ad eum modum probetur, quo de legitimis dictum eſt §. ſuperiore. Ad probandum demum domicilium, litteræ magiſtratus illius Ciuitatis, vel Oppidi, vbi commoratur, continentes, expreſsè tempus, occaſionemque, ob quam initiandus eò ad habitandum venerit, afferantur.

PRO PRIMA TONSVRA.

67. vid. ſeſſ. 3 de ref. . 3. PRæter ea, quæ diximus teſtimonia, vt prima Tonſura initietur quis, hæc etiam afferre debet, Se Sacramento Confirmationis ex libro Confirmatorum, qui ſi deſit, per idoneos ſaltem teſtes id oſtendat.

Omnes

Omnes autem afferant teſtimonium, in Eccleſia Parochiali, atque etiam in Eccleſia matrice, ſi ex ea Ciuitate, aut Oppido fuerit, in quo ea ſit, publicationem de ſua futura promotione inter Miſſarum ſolemnia, cum populus maximè frequens adeſſet, factam fuiſſe.

68. Ad hæc, ſcholas frequentaſſe, atque in litteris profeciſſe, & ſi maior natu ſit annis quatuordecim. ſcriptum etiam teſtimonium afferat, quo fidem faciat ſe nullius criminis reum eſſe apud Tribunal ſæculare, neque in iudicium vocatum aliquando alicuius grauis peccati nomine.

Omnes demum monemus ne accedant, niſi prius probè legere, atque characteres formare nouerint.

PRO ORDINIBVS

tum minoribus, tum maioribus.

69. LItteras exhibeant, quæ de ſuſcepta tonſura, aut alio antecedente ordine fidem faciant.

Fidem item exhibeant Curati, aut Rectoris illius Eccleſiæ, cui adſcripti fuerint, in qua declaretur, initiandos Eccleſiæ inſeruiſſe, atque adeo in ijs functionibus, quæ ad ſuſceptum ordinem pertinent, illud etiam ſpeciatim

explicetur, in quo genere ſe exercuerint, quamdiu, quantaue cum religione, & modeſtia, & frequentia.

70. Item à Vicario loci teſtimonium afferant, ſe eo habitu quo decet, inceſſiſſe, hoc eſt, talari veſte, bireto, ac tonſura. eiuſdē itidē teſtimonium, quo probetur, frequenter pœnitentiæ Sacramentum ſumpſiſſe, perſæpe etiam communicaſſe, hoc eſt, ſi Diaconi, aut Subdiaconi fuerint, ſingulis quibuſque Dominicis, feſtiſque diebus, iuxta Sacri Concilij Tridentini monita, aut ſaltem bis quolibet menſe. ex reliquis verò minimum ſemel aut iterum. id quod declarent litteræ per ſex à die ordinationis ipſorum integros menſes fuiſſe patratum. Nemo vero ſuſcipiendorum minorum ordinum cauſa accedat, qui latinā linguam non intelligat.

Trid. ſeß. 23. c. 13.

AD MAIORES ORDINES.

71. QVi Subdiaconorum, Diaconorum, aut Presbyterorum ordini aſcribi poſtulant, præter ea, quæ diximus, teſtimonium afferant, quo probēt publicationes de futura ipſorum promotione in Eccleſijs ad eum modum, quo ſupra diximus factas eſſe, nec impedimenti

quid-

quidpiam ortum fuiſſe. cantui Eccleſiaſtico ex Magiſtri fide operam dediſſe, legitima ætate eſſe, hoc eſt, ſi Subdiaconus futurus eſt, annorum viginti duorum; ſi Diaconus, viginti trium; ſi Presbyter, vigintiquinque inceptorum. quod teſtimonium exſcribi debet ex libro baptizatorum ijſdem planè verbis, quibus in originali conſtat quod proprij Curati manu ſubſcriptum, ſigilloque munitum ſit. qui Curatus fidem faciat, ita in originali ſcriptum eſſe: alterum etiam à Vicario teſtimonium exhibeat, qui ſeorſum ſcripto aſſerat illam eſſe Curati ſcripturam; ac ſi contingat eumdem Curatum eſſe Vicarium, magiſter notarius Curiæ ſpiritualis autenticum teſtimonium reddet. *Trid. ſeſſ. 23. c. 12.*

Quòd ſi Baptiſmi notatio inueniri aliquando non poſſit, Epiſcopus moneatur, qui quid facto opus ſit, ſtatuet.

72. Sumptus præterea ad honeſtè viuendum ſibi ſuppetere oſtendant, aut ex Eccleſiaſtico beneficio, aut ex patrimonio, quod annuo cenſu vnciarum ſaltem duodecim conſtet, atque illud per aliquod tempus antehac quietè, ac pacificè poſſidere. Si beneficium, aut penſionem, quæ duodecim vnciarum cenſu minor eſſe non debet, vt ordinem quis conſequi poſſit, collationem, prouiſionemue exhibeat, item- *Trid. ſeſſ. 21. de ref. c. 2.*

que eiuſdem poſſeſſionem. ac de cenſu quidem publico inſtrumento, aut teſtibus, qui de beneficij ratione, ac fructibus conſcij ſint, fidem faciet.

Sin verò patrimonio potitur, quod ſibi donatione, aut alio quouis titulo conceſſum, aſſignatumue fuerit, publico id inſtrumento comprobet, in quo pars vtraque iuret expreſsè donationem, aſſignationemue veram eſſe, ac realem, non fictitiam, aut cum fraude factam; nullam prætereà inter eos pactionem, aut contractum initum; vel ineundum fore, quo is, cui donatio, aut aſſignatio facta fuerit, bonis, redditibuſque aſſignatis, eorumque quieta poſſeſſione exturbari aliquando poſſet. huiuſmodi verò pacta atque contractus ex nunc pro tunc irritos, & nullius valoris, & momenti futuros declaramus, ac eos qui talia pacta, atque contractus inire auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurriſſe ſe nouerint; alijſque Epiſcopi arbitratu pœnis puniantur.

Trid. ſeſſ. 21. de ref. c. 2. C. neminem. C. Sanctorum. 70. diſt.

Ad hæc tribus fide dignis teſtibus qualitatem, quantitatemue patrimonij ab aliquo ſibi aſſignati, aut aliorum propriorum bonorum comprobet, qui quidem teſtes partes ſingulas patrimonij, bonorumque eius, qui initiandus eſt, fructus, red-

redditusque annuos diſtinctè, ac præcisè exprimant, quos initiandum poſſidere, eiſque ſine cõtradictione, atque obligatione, aut hypoteca perfrui, iurati aſſerant.

Singulos præterea, qui initiati fuerint, monemus, ne quid contra prædicta temerè audeant, nam præterquam quod acta nulla, atque irrita fore declarauimus, ipſos à ſuſcepto ordine ſuſpenſos remanſuros, nec ad alios promoueri poſſe decernimus.

73. Huiuſmodi teſtimonia, de quibus hactenus loquuti ſumus, hoc eſt, de moribus, Sacramentorum pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ frequentatione, functionibus, Eccleſiæ ſeruitio, ſtudio litterarum, habitu, atque tonſura clericali, gratis fiant, præter chartam, & ſcriptionem: alia verò de publicationibus, & notatione Baptiſmi, vbi conſuetudo eſt, vt pro his nil ſoluatur, gratis itidem fiant: vbi vero aliquid accipiendi conſuetudo inualuit, tareno pro ſingulis teſtimonijs, amplius ne exigatur.

Examinandorum autem teſtium gratia in qualibet prædictarũ cauſa, Vicarij, aut Curati nihil accipiant: at magiſtris notarijs iuxta Curiæ Epiſcopalis pandectas, granos quattuor pro ſingulis teſtibus accipere permittimus. qui ſecus faxint,

 ſinguli

ſinguli vnciarum ſex, & ſuſpenſionis ab officio Epiſcopi arbitrio pœnam incurrant.

74. Demum præter eos, qui ad primam Tonſuram admitti poſtulant, omnes cum bireto, tonſura, talarique tunica decenti ſe ſiſtant examinãdos, ſecus excludantur.

75. Cuiuſuis ordinis religioſi, patentes litteras, ceteraque teſtimonia ad ordinum ſuſceptionem neceſſaria à ſuis ſuperioribus afferent: qui ſi rationabilem cauſam habebunt, cur non ſeruatis temporum interſtitijs, promoueri poſtulent, expreſſam in ſuis facultatibus velint, vt poſſimus quid circa diſpenſationem rationabilius in Domino deliberare.

Illud monitos Religioſos volumus; cum à nobis ordinatio habetur, neminem eorum, qui in Vrbe, vel Diœceſi alicui familiæ, Conuentui, aut Monaſterio aſcripti, atque à ſuperioribus aſſignati fuerint, ab alio Epiſcopo promoueri poſſe. itaque à nobis alienos admittendos non fore, niſi fortè autenticum teſtimonium afferẽt in ſua ipſorum Diœceſi ordinationes eo tempore non haberi.

76. Ad extremum caueant omnes, ſiue Parochi, ſiue Eccleſiarum Rectores, aut Vicarij, ad quos de ſupradictis fidem nobis facere ſpectat, ne occaſione amicitiæ, aut humanę cuiuslibet rei amo-

re,

re, falſitati fidem adſtruant. quod ſi quis temerè id auſus fuerit, præter eas, quæ à Sacris Canonibus contra huiuſmodi ſtatutæ ſunt, vnciarum viginti pœnam dabunt: valeatque contra huius peccati reos ſemper Fiſcus principaliter agere.

77. Clericos autem, qui vt facilius ad ordines admittantur, literas commendatitias afferendas duxerint, pro ea vice ad eos ordines ſuſcipiendos inhabiles declaramus.

78. Examinatores etiam quid muneris ab ordinādis ante, vel poſt ordinationem accipere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna prohibemus.

DE MISSA.
Cap. VII.

79. NOuus Sacerdos non ante rem diuinam faciet, quàm à Magiſtro Cęremoniarum Cathedralis Eccleſiæ, ſi in Vrbe fuerit, ſi in reliqua Diœceſi, ab eo, quem Vicarius deſignauerit, ritus, & cæremonias apprimè didicerit, eiuſdemque teſtimonio ſcripto comprobato celebrandi facultate ab Epiſcopo donatus fuerit, aut Epiſcopo abſente, ab eius Vicario, ſub pœna, quam Epiſcopus irrogandam arbitrabitur.

80. Ac ne aliquem tantum miniſterium fruſtra accepiſſe videatur, præcipimus vt quilibet Sacer-

dos intra annum à die recepti ordinis, omninò celebrare teneatur, aliàs grauiter Epiſcopi arbitrio puniatur.

81. Tollantur conuiuia, ludi, choreæ, eleemoſynarum, & munerum extorſiones, ceterique abuſus, qui, vel populi temeritate, vel Sacerdotum auaritia, in nouarum Miſſarum celebrationibus irrepſerunt. Qui vero Sacerdos eodem die, quo ſacrum primo fecerit, commeſſationes, ludoſque indecòre fieri permiſerit, quamuis priuata in domo, duarum vnciarum pœnæ ſubiaceat, & carceri mancipetur Epiſcopi arbitratu.

Trid. ſeſſ. 22. c. 1.

Hac autem conſtitutione, non tollimus in ipſa prima Miſſa offertorij tempore, ſedente ad altare nouo Sacerdote, ſi quid à fidelibus offeratur, quin excipi oblationes poſſint, dummodò ab altari eam ob cauſam Sacerdos non diſcedat.

82. Rem diuinam facere ne quis Presbyter, ſiue ſæcularis, ſiue regularis ille ſit, alienæ Diœceſeos permittatur, niſi prius Ordinarij ſui patentes, aut dimiſſoriales, quas vocant, litteras oſtenderit; atque ab Epiſcopo rem diuinam faciendi facultatem ſcripto exhibuerit. Parochus autem, Curatuſue, qui Sacerdotes huiuſmodi ſine patētium litterarum oſtenſione ad celebrandum admiſerit, ſingulis vicibus vnciarum quattuor pœna

na mulctetur. Notoriè verò criminoſi, ſiue peregrini ſint, ſiue Diœceſani, à celebratione omnino arceantur.

83. Vbi plures Miſſæ celebrantur, vt populi commodo ſeruiatur; prima primo diluculo, poſtrema quò tardius licet, celebretur; non tamen illa ante auroram, neque hæc poſt meridiem.

Neque etiam Miſſæ omnes, vna immediatè poſt aliam, ſed cum aliqua tẽporis intercapedine: ſic enim populo cõmodum futurũ videtur. quod ſi ratio, aut neceſſitas plures etiã ſimul Sacerdotes peragere poſtulauerit, in altaribus id fiat, quæ iuſto ſpatio inter ſe diſtent, itaut ne alter alteri ſit impedimento, atque alius alium Sacerdos voce interturbet. quare ſi fieri poteſt, optandum etiam eſſet, alium ab alio non exaudiri.

S. Carol. tit. de celebr. Miſſ. c. 8.

84. Qui rem diuinam facere ex aliqua obligatione debent, omnino id per ſe ipſos præſtent, vel legitimè impediti, alteri cuipiam id oneris cõmittãt, qui omnino obligatione ſolutus, poſſit ſatisfacere. ac ſi in altari certo præſtare id debeant, ſi in alio celebrauerint, præſtitiſſe quod debent, ne cenſeantur, niſi fortè Epiſcopi iuſſu, aut conceſſione id fecerint.

85. Et vt omnium Miſſarum celebrandarum onera ex pijs defunctorum diſpoſitionibus, vel aliàs definita impleantur, ſingulis Sacerdotibus iam

nunc

nunc pro quacunque cauſa celebraturis, manu propria in libris ab Eccleſiarum rectoribus vbique conficiendis, quoties celebrauerint, ſubſcribi præcipimus. eos vero qui non celebrantes, ſe ſubſcribere audebunt, excommunicationis pœnam iam nunc item incurriſſe declaramus.

Eccleſiarum vero Rectoribus quibuſcunque præcipimus, vt primo die menſis Auguſti cuiuslibet anni, notationem eorum, qui proprio oneri non ſatisfecerint, Epiſcopo tranſmittant, vt omiſſæ ſatisfactioni ſuper fructibus beneficiorum, vel aliter prouideatur. atque hoc in negotio conſcientiam Rectorum oneramus.

86. Atque vt ea qua debent animi puritate tantum Sacramentum obeant Sacerdotes, ſingulis ſaltem hebdomadis Sacramento cõfeſſionis peccata expiabunt, niſi frequentiores culpæ crebrius id faciendum poſtulent.

Sacrum facturus, vbi Sacriſtiam ingreſſus fuerit, in Oratorium ſe conferat ſe colligendi cauſa, ac ſacrificij, quod eſt peracturus, præſtantiam meditetur.

Mox ablutis manibus, ſigniſque in Miſſali diſpoſitis, atque ijs, quæ altiori voce pronuncianda ſunt, præuiſis, recognitiſque, ne vel erret cum ſcandalo, vel cum auditorum faſtidio hæſitet; caliceque adornato, ad ſacras induendas veſtes acce-

accedat, ſinguliſque ſacris veſtibus accomodatas preces inter induendum recitet. In Sacriſtia ſe induat, vbi vero ea non fuerit, non in cornu altaris, ſed poſt altare, vbi etiam peracto ſacrificio, ſacras veſtes deponat, alioqui pœnā ſubeat tarenorum duorum pro ſingulis vicibus.

Sacris veſtibus indutus ſermones cum alijs ne miſceat, neque ex Sacriſtia progrediatur, niſi rectè ad altare iturus; quò grauiter, & modeſtè accedens, vbi peruenerit, biretum, ſudariolum, atque id genus alia, ab altari prorſus amoueat, ibique alicui gratificandi ſtudio ne conſiſtat, aut inchoata Miſſa ſubſiſtat, aut ab initio repetat. Neque demum vtatur ſubbireto, niſi de licentia Epiſcopi.

87. Celebranti, vnus ſaltem miniſter, iſque Clericus, ſi haberi poteſt, talàri veſte indutus, & ſuperpelliceo aſſiſtat, qui candelas, vrceolos, & ſimilia ad Miſſæ ſacrificium ſpectantia ſuis in locis collocet, antequam Sacerdos ad altare accedat. Filios autem Presbyterorum ijs celebrantibus, ne paternæ incontinentiæ teſtimonium populo ſint, miniſtrare prohibemus. *Trid. ſeß. 25. de ref. c. 15.*

Adhæc Sacerdos cæremonias, & orationes à Romana Eccleſia inſtitutas, ad vnguem ſeruet, nec quicquam addat, aut detrahat. non plures collectas dicat, quàm quinque; ſecretas oratio- *Trid. ſeß. 22. de obſ. & eui. i. celeb. miſ.*

nes

nes ſecretò pronunciet, cetera clara voce profe-
rat, neque tardius, neque velocius, quàm par eſt:
nec tamen hæc, aut illa memoriter, ſed de libro
omnia. Curet præterea tum Sacerdos, tum mi-
niſter ne quis ſiue vir, ſiue mulier gradibus alta-
ris hæreat, aut nimium propè adſit, ſed eos remo-
ueri iubeat, eique pręcipienti omnes obtemperēt.
88. Cæremonias omnes, quas Miſſæ ſacrificium
expoſcit, genuflexionem, capitis inclinationem,
ad populum cōuerſionem, manuum adiunctio-
nem, diſiunctionem, extenſionem, Crucis ſignū,
ſacræ Hoſtiæ eleuationem, tractationem fractio-
nem, ſumptionemque, ita aptè, & moderatè
peragat, vt in omnibus pietatem, religionem,
grauitatemque præſeferat. Sub finem verò Miſ-
ſæ candelę ne extinguantur, aut cuiquam rei ma-
nus à miniſtro admoueatur, niſi Euangelij fine
audito, quod poſt benedictionem legitur. De-
mum peractis omnibus Sacerdos eadem grauita-
te, ac modeſtia in Sacriſtiam redeat, vbi ſacris ve-
ſtibus exutus, lotiſque manibus ſe iterum colli-
gat, & pro tanti beneficij munere gratias Deo
agat.
89. Dum in Eccleſia Miſſæ ſacrificium, ſiue cum
Cantu, ſiue abſque cantu Epiſcopus facit, intereà
nullus Sacerdos è Sacriſtia prodeat, rem diuinam
in eadem facturus, niſi fortè Epiſcopus aliqua de
cauſa

cauſa id fieri permiſerit. atque in eo altari, in quo Epiſcopus rem diuinam peregit, nullus Sacerdos eo die, niſi eius conceſſu faciat. C. fin. de conſec. d. 2.

90. Diebus Dominicis, & feſtiuis dum celebratur Miſſa maior, nullus in Eccleſia ſacrum faciat, niſi publicatis poſt Euangelium à Parocho denuntiationibus matrimonialibus, & alijs, quæ publicari contigerit. cum verò in Miſſa maiori ſanctiſſimum Chriſti Corpus eleuatur, detur campanæ ſignum, vt etiam abſentes mente ad Deum conuerſi genuflectentes, quadraginta dierum indulgentiam, quam eis concedimus, conſequantur.

91. Pacta, conuentioneſque pro Miſſarum celebratione, atque aliorum Sacramentorum adminiſtratione, omnino prohibemus.

Sub pœna etiam excommunicationis latæ ſententiæ mandamus, ne quis Sacerdos pro Miſſis celebrandis ſtipendia ſumat, niſi verè ad ſatisfaciendum ſe idoneum certè cognouerit, quod nec alijs ſit obnoxius, nec alio modo impeditus.

Sub eadem pœna prohibemus, ne vna Miſſa pro pluribus, à quibus ſtipendium accèpit, ſatisfacere velit, immo tanquam eleemoſynarum fraudatorem iniuſtum, ad reſtituendum teneri, & cogi volumus.

Demum

92. Demum vt Sacerdotum paupertati conſulamus, ijſdemque occaſionem tollamus, nimias eleemoſynas pro Miſſis poſtulandi, ſingulis miſſis ferialibus diebus ſingulos tarenos pro eleemoſyna tribuendos decernimus, feſtiuis verò carolenos tres. pia etiam illa legata, quæ pro Miſſis celebrandis à fidelibus relicta fuère, vel relinquentur, auctoritate nobis à Concilio Tridentino conceſſa, ad rationem vnciarum duodecim pro quolibet anno redigi, itaut tot Miſſæ celebrandæ ſint, quot tareni ſaltem pro ſingulis aſſignari videntur.

Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 4.

Hoc autem decreto eum Miſſarum certum numerum comprehendi nequaquam volumus, qui in fundatione cuiuſque beneficij à fundatoribus fuerit conſtitutus, vel conſtituetur.

93. In Oratorijs priuatis neminem celebrare permittimus, niſi à Sede Apoſtolica ſit indultum, & ea ab Epiſcopo ſint deſignata, & viſitata.

DE MATRIMONIO.
Cap. VIII.

Gen. 2. MAtrimonium iam inde ab initio orientis mundi à Deo inſtitutum ob filiorum procreationem, educationemque: mox etiam in remedium cōtra effrænatam Naturæ corruptæ cōcupi-

cupiſcentiam conceſſum: ad extremum à Chriſto Domino in lege Euangelica ad Sacramenti nomen, dignitatemque euectum, quo fideles inſolubili vinculo coniunguntur, tanto ſanctiore religione tractandum eſt, quanto circa illud peccare ob humanam fragilitatem contingit.

Matth. 19.

Tridem. ſeſſ. 24. de ſacr. matrim.

94. Curatus antequam denunciationes facere incipiat, vtriuſque tum viri, tum mulieris voluntatem exploret diligenter, atque vbi Parochiæ ſeiunctæ, diſiunctæque ſunt, ſi alter fortaſſis ad ſuam rem nō pertineat, ne denunciet, priuſquam ab Eccleſiæ, ad quam alter pertinet, Præfecto, de illius voluntate, & aſſenſu certior factus ſit.

95. Ad denunciationes item ne progrediatur, niſi habita facultate Vicarij Generalis in Vrbe, in Diœceſi verò Vicarij loci, cuius partes erunt, cōtrahere volentibus iniungere, ne ante benedictionem cohabitare præſumant. Si autem contrahentes peregrinos, exteros, vagoſque, aut ſibi incognitos eſſe compererit, non niſi de facultate Epiſcopi, ad quem Vicarij, teſtes cum eorum præſentia omnino recipiendos ſuper libertate contrahentium, tranſmittere curabunt. ad matrimonij verò celebrationem nequaquam Parochus procedet, niſi de conceſſu Vicarij in ſcriptis ab eo impoſterum conſeruando.

96. Matrimonio eos ne iungat, qui ſalutationem

Angelicam, Orationem Dominicam,& Symbolum Apoſtolorum integra omnia memoria non tenent,& quod ad rudiores, qui ſaltem rudimenta fidei, iuxta compendiolum iuſſu noſtro editũ, neſciunt, quos omnino examinandos volumus.

Cap. ſi quis renunciat. 34. q. vlt. Nec itidem matrimonio aliquem iungat, qui cum, coniugatus aliquando fuerit, ob diuturnã alterius coniugis abſentiam, nouo iungi matrimonio poſtulat, niſi prius ex Epiſcopi auctoritate explorata diligenter, atque comperta mors ſit alterius.

97. Antequam ad denunciationes veniat, ſponſos ſerio moneat,vt ſedulò cogitent apud ſe,num alteri promiſerint, num voto caſtitatis, aut religionis ſe ſe obſtrinxerint, num inter ipſos aliqua, vel affinitas, vel cognatio etiam ſpiritualis intercedat:doceatque ſi in gradibus Eccleſiaſticis ſanctionibus prohibitis malitioſè cõtrahere auſi fuerint, ſpe diſpenſationis obtinendæ priuari.

Filios familias hortetur, & moneat, ne inſcijs parentibus,aut etiam inuitis, denunciationes haberi, aut matrimonio iungi velint; non propterea quod ad Sacramenti matrimonij firmitatem neceſſario requiratur parentum conſenſio, ſed vt paternæ obedientiæ, reuerentiæque id etiam tribuatur.

98. Illud præterea curandum in primis Parocho, aut

aut Curato cenſemus, vt matrimonio iungendos monitos velit, vti in re tam graui ad Deum, Tobiæ exemplo, precibus confugiant. interim verò dum dies expectatur, quo per verba de præſenti contrahant, eos obteſtetur ne ſimul habitent, aut alio modo ſe certis peccandi periculis exponant. Qui verò ante contractum per verba de præſenti matrimonium, cohabitare auſi fuerint, pœna vnciarum quinque mulctentur. quod ſi etiam conſummaſſe compertum fuerit, interea dum denunciationes de more fiunt, excommunicentur, & mulcta vnciarum decem, pœnaque carceris Epiſcopi arbitrio plectantur. in quam etiam pœnam incurrent parentes, & conſanguinei, qui Sponſæ curam gerunt, ſi conſtitutionis huius fractioni conſenſerint. Si vero in gradu prohibito conſumaſſe deprehenſi fuerint, duplicata pœna plectantur, præter excommunicationem maiorem, in quam ex Sacris Canonibus incurrunt.

99. Denunciationes, quas nullo pacto Parochus, aut Curatus prætermittat, tribus feſtis diebus, quos ex præcepto populus obſeruare debet, fiat, *Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 1.* atque in ea Miſſa, cui adeſſe frequentior populus conſueuit, & diſtinctè, ac intelligibili voce, vt præſentibus innoteſcant; nec publicati matrimonij fidem faciet, niſi poſt tres denunciationes habitas.

Quòd ſi alter non eiuſdem ſit Parochiæ, aut ad eamdem Eccleſiam non pertineat, ad Matrimonij celebrationem non deueniet, niſi certior factus à Parocho, Præfectoue alterius Eccleſiæ, de trina facta denunciatione, atq; huiuſmodi teſtimonium omni diligentia ſeruandum curet.

Neq; verò matrimonium eo die in Eccleſia ſolemni ritu celebret, quo die extrema fit denunciatio, niſi forte incideret pridie illius diei, à quo celebrari nuptiæ prohibentur, Aduentus videlicet, & Quadrageſimæ; aut ex Epiſcopi expreſſa licentia; quod ipſum die feſto proximè pręcedēte populum docebit.

100. Si denunciationibus inceptis matrimonij aliquod reueletur impedimentum, ad alias nō progrediatur, ſed Epiſcopus conſulatur: ij vero qui malitiosè falſum impedimentum oppoſuerint ne matrimonium contrahatur, excommunicationis maioris pœnam ipſo facto incurrant.

Cap. cum inhibitio.

101. Ad hæc, non alibi, quàm in Eccleſia, eaque Parochiali, aut Sacramentali, ac matutinò tempore matrimonium celebretur, niſi aliter Epiſcopus interdum cenſuerit. cui celebrationi teſtes minimum duo præſentes adſint.

Matrimonio demū ritè celebrato, ſponſiſque officij ſui paternè ac breui ſed efficaci cōciuncula monitis, Miſſæ ſacrificium peragatur, quo abſoluto,

ſoluto, benedictio nuptiarum de more, quæ nunquam ſub vmbella, ſub qua Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deferri ſolet, fiat.

102. Si matrimonium Epiſcopi diſpenſatione domi celebretur, ſponſi intra dies quindecim: ſi verò intra tempora, quibus nuptiæ prohibentur contraxèrint, intra octo dies ab apertis nuptijs ad Eccleſiam benedictionem accepturi, ſub excommunicationis pœna accedere teneantur.

103. In regreſſu ſpōſorum ad domos benedictionē ſuſcepta, ſuperſtitioſas panis, frumenti, ordei, aliarumue rerum proiectiones ad ſponſos fieri, prout in Eccleſiæ ingreſſu eis mel dari, ſub eadē excommunicationis pœna prohibemus.

104. Notabit etiam Curatus ipſe, àut Parochus in libro matrimoniorum proprio, coniugum nomina, teſtiumque, diem prætérea, annum, locumque contracti matrimonij, dieſque feſtos, in quibus denunciationes præhabitæ ſunt, eiuſque Sacerdotis nomen, qui eos matrimonio iunxit, ea forma, quæ in Rituali Romano continetur. Eum vero librum apud ſe cuſtodiat.

Illud etiam animaduertet, vt à nouis ſuæ Parochiæ habitatoribus vxoratis, incognitis tamen, Curatus fidem matrimonij exigat, aliàs tanquam ſuſpectos de concubinatu Vicario denunciet.

105. Porrò vt fraudibus occurramus, quæ inter-

dum fiunt à parentibus in filijs in matrimonium ante legitimam ætatem collocandis, edicimus, vt antequam denunciationes facere incipiat Parochus aut Curatus, de Sponſæ, ſponſique ætate diſquirat, quos ſi decimumoctauum annum non excedere deprehenderit, nõ antè denunciet, quàm teſtimonio ex baptizatorum libro petito, manuque Parochi, aut Curati ſubſcripto, collationeque facta, legitimam ætatem habere compererit. Curatus qui ſine huiuſmodi teſtimonio ſponſos adoleſcentes matrimonio iunxerit, ſit ipſo facto ſuſpenſus Epiſcopi arbitratu.

PARS

PARS TERTIA
DE CLERICORVM MORIBVS.
Cap. I.

CLERICI in ſortem Domini electi, Sacramentorum adminiſtri, Chriſtiani populi Duces, ac Doctores, vti ceteris dignitate, ac ordine antecellunt, ita morum, & vitæ probitate anteire debent, tantumque eorum viuendi ratio præſtare debet reliquorum vitæ, quantum à grege diſtat vita Paſtoris. Vt ergo illos muneris ſui partes exequi faciamus, non ea ſolum omnia, & ſingula, quæ ſiue ſummorum Pontificum ſanctionibus, ſiue Oecumenicis Concilijs præſcripta ſunt, ab ijs accuratè ſeruari iure expoſcimus, atque præcipimus. Sed hæc etiam ipſorum veſtigijs inhærentes executioni mandari iubemus.

1. Ac primum, Omnes in habitu, & tonſura incedant. Declaramus verò ad formam Clericalis habitus pertinere veſtem vſque ad talos demiſſã, *Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 6.*

& Clericale biretum, eiſque ſemper, præſertim in Eccleſia, & per Ciuitates, ſeu Oppida omnes vti debere, galèro tantum ſiue ad Solis ardorem, ſiue ad pluuias, & aëris iniurias euitandas vtantur. quod ſi quis id neglexerit, præter pœnas arbitrio noſtro infligendas, priuilegijs incedentibus in habitu conceſſis, omnino priuetur.

Veſtibus ordini, dignitatique ſuæ conuenientibus vtantur, non admodum delicatis, ſed decentibus, nigrique coloris.

Externa vero veſtis talaris, non à ceruicibus in tergum reflexa ſit, ſed ad collum decenter adſtricta, eaque lanea, quod ſi ſerica, non niſi nigri coloris, & nulla arte elaborata permittitur.

In itinere tamen breuiori veſte, habituque cōtractiori vti licebit, qui tamen Eccleſiaſticum nō dedeceat.

Calceos, crepidaſque ad elegantiam inciſas, *Clement. vlt. tit. de vit. & hon. Cleric.* caligaſque turgidas, vel diſſectas; interulas ad collum, vel ad manus criſpatas, vel acu artificioſè laboratas, ſub pœna ducatorum quatuor vetamus.

Pileum, quod ad arcendas pluuias, cœlique iniurias permittitur, altitudinem dimidij palmi ne excedat, nec minus quatuor digitis in gyrum ora promineat. qui ſecus fecerit, vnius aurei pœnam incurrat.

Annu-

Annulum, niſi officij ratio, aut honoris gradus id aliquo iure poſtulet, ne induant. quibus verò geſtare conceſſum eſt, vnico contenti ſint, & in celebranda Miſſa deponant. qui ſecus feciſſe deprehendetur, prima vice tarenos ſex, deinceps, quam Epiſcopus arbitrabitur, pœnã ſoluet. *S. Carol. hoc tit. c. 30.*

2. Corona Clericali ſemper ſint inſigniti, capilloque ad eum modum abraſo, vt ea omnibus ſit conſpicua. qui neglexerit, tarenis decem mulctetur, ex quibus duo rem deferenti cedent; reliqui ad pias cauſas applicentur.

Barbam, vel totam ſtrictim abradant, vel ſi velint habere promiſſam, non ſæcularium hominum more compoſitam geſtent. qui minus paruerit, vnciæ vnius pœna mulctetur. at à ſuperiore labro ita recidant, vt pili in Sacrificio Miſſæ, Chriſti Domini Corpus, & ſanguinem ſumentibus, non ſit impedimento.

Comam ne nutriant, ſed, iuxta receptum noſtræ Diœceſis morem, attondeant.

3. Nemo habitum Clericalem aſſumat, aut dimittat abſque Epiſcopi facultate, ſub pæna vnciarum decem. quicunque verò ad primam tonſuram, aut minores Ordines promotus fuerit, infra bimeſtre à die ſuſcepti ordinis habitum aſſumere teneatur. quo elapſo, id non niſi noua ab Epiſcopo venia obtenta facere queat.

4. Per vices, compitaque Clerici ne vagentur, ac prima noctis hora in domos ſeſe recipiant, vnde non niſi honeſtam, ac planè neceſſariam ob cauſam progrediantur.

5. Suſpectarum mulierum, vt vel mali cuiuslibet ſuſpicionem effugiant, nec meritò cuiuſpiam offenſionem incurrant, conſuetudinem, ac ſub ijſdē tectis habitationem Clericis interdicimus. Qui ſecus faxit, ſacrorum Canonum pœnis, prę-ſertim ex decreto Concilij Tridentini punietur, ac vncijs præterea decem pijs locis aſſignandis mulctabitur.

Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 14.

6. Si quis vero ſuæ dignitatis immemor, concubinam domi alere, vel vbi vbi quouis titulo habere, ac membra Chriſti facere membra meretricis auſus fuerit, præter pœnas ſacrorum Canonum, & Conciliorum decretis conſtitutas, vncijs viginti mulctabitur. quod ſi iterum in diem collapſus fuerit, alijs grauioribus pro ſceleris grauitate punietur.

Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 14.

7. Vita, moreſque, caſtitatem, pudicitiamque redolère debent, vt populus qui in eos, veluti in ſpeculum oculos intendit, ſumat ex eis quod imitetur. auertat igitur pro ſua bonitate Deus, vt in carnis vitium inſtigante Dæmone quis incidat quoquo modo. at ſi quis eò nequitiæ progrederetur, vt ſodomitico crimine ſeſe impiaret, is dignita-

Trid. ſeſſ. 22. de ref. c. 1.

gnitate, officio, & beneficio priuatus, iuxta Canones, & Summorum Pontificum ſtatuta ſeuerè puniatur, quamuis nulla tanta pœna excogitari poſſit, quæ tam immani ſceleri par ſit.

Pius V. in ea quæ incipit omnes, & quoſcunque.

8. Nemo præterea domũ meretricis adire interdiu, noctuue audeat ſub quouis prætextu, ſub pœna vnciarum decem, aut carceris Epiſcopi arbitratu.

9. Qui confeſſionibus audiendis delecti fuerint, diſputationibus, quæ de rebus ad conſcientiam pertinentibus habebuntur, ſemper interſint. ad quas reliquos etiam Sacerdotes, licet Confeſſarij non ſint, in Domino hortamur, vt deinde cum ad animarum curam promoti fuerint, officio, munerique ſuo ſatisfacere pro dignitate poſſint. Omnes præterea, ac ſingulos Clericos monemus, vt eos ſibi libros comparent, quos ad pietatem excitandam, animoſque diuinis rebus informandos profuturos fore cognouerint.

10. Clericus ſordidum, aut vile munus non exerceat in famulatu cuiuſuis non eccleſiaſtici hominis, licet minoribus tantum ordinibus initiatus ſit; ſi verò iuſtam ob cauſam etiam oportuerit, non niſi Epiſcopi facultate ſcripta id fiat, ſub pœna vnciarum decem. non tamen propterea prohibere intendimus, quin Clerici docendi cauſa in domibus laicorum habitare poſſint,

dum-

dummodo nullum aliud ſeruile officium faciant.

11. Hoſpitij item domos ne retineant, ſub pœna carceris Epiſcopi arbitrio.

12. Muſicis inſtrumentis præterquàm domi, vel in Eccleſia ad diuini cultus honorem, ne vtantur Clerici, nec interdiu, noctuue per compita, viaſque cantare, aut alios cantantes comitari ſuæ dignitatis immemores audeant. qui ſecus fecerit, duas vncias ſoluat.

Eademque pœna mulctetur, qui depoſito clericali habitu de nocte inceſſerit.

13. Ab omni quęſtuoſæ mercaturæ genere ſeſe abſtineant; nec illam ſuo, vel cognatorum, aut cuiuſuis alterius nomine exerceant. huius peccati rei, vltra à iure impoſitas, decem vnciarum pœnam primò incurrent. ſi iterum deprehendantur contra noſtram hanc conſtitutionem erraſſe, vncijs viginti mulctentur. ſi vero nec ita reſipuerint, grauioribus etiam Epiſcopi arbitratu ſupplicijs afficiantur.

14. Ac ne temporis, quod in Dei obſequium à Clericis inſumendum eſt, cum ipſorum infamia iactura fiat, nemo aleis, taxillis, alijſque ludis inhoneſtis ludat, nec domi ſuæ aleatoribus locum præbeat, aut pecuniam ad ludendum det mutuã, aut luſoribus inſpectandis in luſoria domo tempus

pus

pus terat. at qui ludo taxillorum, alearumque ludere auſus fuerit, vncijs vigintiquinque Seminario applicandis mulctabitur; ac ſi locus,in quo luſerint, publicus fuerit, aut in ſæcularium conuentu, vel domi ſuæ baractariam quam vocant, præbere auſi fuerint, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrent, mulcta duplicabitur.

15. Nullius generis arma, ſiue ad offenſionem, ſiue ad defenſionem, præter gladiolos ad domeſticum vitæ vſum accommodatos ferant,niſi fortè per ſuſpecta loca facturi iter ſint: tunc enim enſem ferre permittitur; ac etiam vt eum, & haſtile aliquod domi habere poſſint; cetera verò omnia tam noctu, quàm interdiu ferre, aut domi habere prohibentur, vnciarum decem pœna propoſita. quam duplicatam incurrent,ſi arma, quę geſtauerint, ſclopettæ, aut archibuſia, quæ vocant,fuerint. ſi vero breuioris formæ ſclopi,vulgo archibuſetto, vel alio quocunque appellentur nomine, aut cuiuſuis nominis formæque ſtyli, præter excommunicationis ſententiam, quam ipſo facto incurrunt, vncijs centum mulctabuntur, aut carceri, vel triremibus Epiſcopi arbitratu per triennium mancipabuntur. quæ ſi domi habere auſi fuerint, licet non geſtauerint, præter excommunicationem, quam diximus, vnciarum

quadra-

quadraginta pœnam incurrant. quibus etiam quod ad breuiores ſclopos, aut ſtylum, pœnis ſubiacère volumus omnes, & ſingulos iuriſditioni noſtræ ſubiectos.

16. Choreas publicas, aut priuatas nõ agant, quas ne ſpectare quidem Clericos decet: inanibus præterea ſpectaculis, aut impudicis, aut crudelibus, nec ſecretò, nec publicè interſint. Comędias profanas, in quibus mulieres interſunt præcipue ne ſpectent, nec agant.

Trid. ſeſſ. 22. de ref. c. 1.

17. Laruati, quos maſcheratos appellant, ne incedant, ſub pœna vnciarum quatuor, ac excommunicationis latæ ſententiæ, & carceris Epiſcopi arbitratu.

18. Tabernas prorſus euitent, niſi fortè in itinere neceſſitatis cauſa; & tunc ea, qua decet modeſtia ſe gerant. minus honeſta conuiuia ęquè ac peſtem fugiant.

Trid. ſeſß. 24. de ref. c. 12.

19. Ne quis Deo militans implicet ſe negotijs ſæcularibus ex Apoſtoli ſententia, nec Aduocatum cauſæ ſæcularis, nec coram ſæculari iudice agat, aut teſtimonium dicat: at verò ſi ipſorummet Clericorum, aut miſerabilium perſonarum, aut Eccleſiæ neceſſitas ea fuerit, vt aduocationē ex charitatis, aut iuſtitiæ debito poſtulet, non ante eam ſuſcipiat, quàm Epiſcopum, aut eius Vicarium Generalem conſuluerit; pœna vnciarum decem

2. ad Timot. 2.

decem alioqui mulctandus, ſi primo tunc deliquerit; maioribus etiam Epiſcopi arbitrio ſupplicijs afficiendus, niſi vel ſic reſipuerit.

20. Super bonis in patrimonium ipſi aſſignatis pro alijs ne fideiubeat tam in cauſa ciuili, quàm criminali, quamuis cognatione, aut affinitate, aut alio quouis vinculo coniuncti ſint ij, pro quibus fideiuſſio poſtulatur. qui fideiuſſerit excommunicetur, carcerique per menſem mancipetur.

21. Clericos tabellionatum, aut medicinæ artem exercère prohibemus, cum id olim à Sanctis Patribus ſapienter vetitum non ignoremus. qui obedire neglexerit, vncijs decem hoſpitali ſoluendis mulctetur; aut ſi ſoluendo non fuerit, in carcere conijciatur ad menſem.

22. Procurationes negotiorum tanquam ab Eccleſiaſtico munere alienas nemo ſuſcipiat; tutoris, aut Curatoris onus, nec iudicis compromiſſarij in qualibet cauſa, niſi de licentia Epiſcopi accipiat. Fœminas item quantumuis nobiles quocunque prætextu, etiam ſi ad Eccleſiam acceſſerint, comitari ne audeat; cum hæc omnia Eccleſiaſtici ordinis dignitati, & honori non parum derogent.

Ad Tit. 2.

Matth. 6.

Dona-

23\. Donationes, emptioneſq; ſimulatas etiam à cõſanguineis non admittat; veris autem donationibus non vtatur, antequàm ab Epiſcopo cognita approbentur, tum eas, ſine eiuſdem facultate nullatenus relaxet, aliàs latam excommunicationis ſententiam incurrat.

24\. Negotiationi frumentariæ, gabellarum, & cuiuſuis alterius generis, ne ſe ingerant Clerici, nec carnium macellationi, vncijs decem alioqui mulctandi pro prima vice; grauioribus, niſi reſipuerint, Epiſcopi arbitrio pœnis mancipandi. *Clem. 1. de vit. & hon. Cleric.*

25\. Receptantes Clerici facinoroſos, bannitos, aut excommunicatos, excommunicationis pœnam incurrant: furta autem in proprijs domibus occultantes, pœna furum puniantur.

26\. Vt perditorum hominũ audaciæ aliquod adhibere remedium poſsimus, qui viatores captiuos facientes, ad ſe redimendos per ſummum ſcelus cogunt; quibus patrandis facinoribus Eccleſiaſticis hominibus internuncijs, atque mediatoribus perſæpe vtuntur, atque ita Eccleſiaſtici, pietatis ſpecie, rapinarum, furtorumque adminiſtri fiunt; Edicimus, atque mandamus ne quis Eccleſiaſticus, cuiuſuis ordinis, aut dignitatis ille ſit, per ſe, vel per alium, voce, vel ſcripto, aut quouis alio modo directè, vel indirectè ſub quouis prætextu talium hominum, aut cõpoſitionum inter-

nun-

nuncius eſſe velit, neq; in eum finem literas, aut Chyrographa afferre, tradereue, alioue modo huiuſmodi tractatibus ſe immiſcere. qui ſecus fecerit, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrat, cuius abſolutionem nobis, aut Vicario noſtro Generali reſeruatam volumus, omni præterea facultate Miſſas celebrandi, confeſſiones audiendi, ceteraque Sacramenta miniſtrandi, ac demum concionandi perpetuo priuamus. adhæc, ſi huic noſtræ conſtitutioni contrafeciſſe conuictus fuerit, ipſo facto triremium, carceriſque perpetui pœnam incurrat, omnique officio, ac beneficio priuetur, pecuniamque, cuius ſoluendæ latronibus mediator fuit, reſtituere ei, à quo ſoluta fuerit, teneatur.

27. Si quis Clericus, aut Sacerdos monetæ tonſionis, aut falſificationis immane ſcelus commiſerit, vel committenti operam dederit, vltra pœnas à Sacris Canonibus inflictas, in beneficiorum priuationem, ac omnium bonorum publicationem ipſo facto incurrat.

28. Demum vt Clerici Eccleſiaſtica diſciplina ſeſe exerceant, & de virtute in virtutem in diem progrediantur, tam ij, qui in minoribus, quàm qui in maioribus ordinibus ſunt conſtituti, Eccleſiæ, in quam adſcripti erunt, deſeruiant, munera eis ſpectantia obeuntes, ibique ſaltem in mē-

ſes

ſes ſingulos Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ recipiant. Rectores autem Eccleſiarum nomina non frequentãtium Vicario loci denuntient, vt ab eo Epiſcopo deferantur.

DE DIVINO OFFICIO.
Cap. II.

VT antiquiſſima, eademque pijſſima diuini officij recitandi ratio, quæ in Dei Omnipotentis cultum velut in proprium ſcopum dirigitur, à Clericis quàm deuotiſſimè conſeruetur, præcipimus, atque ſancimus.

29. Vt dato campanæ ſigno, qui ſacris officijs intereſſe debent, ad diuinas laudes ſe præparent, & maturè ad Eccleſiam progrediantur, quam ingreſſi, ad Sacroſanctam Euchariſtiam, vel ad aram maximam preces fundant, mox lineam induti ad Chorum procedentes, facta Epiſcopo reuerentia, ſi adfuerit, in ſuam ſe quiſque ſedem recipiat, & dato ſigno à Chori Præfecto, ad quem ſpectat in principio officij dicere, Pater noſter, & in fine, Fidelium animæ &c. pronunciare, necnon Abſolutionem in principio Completorij; ad officium piè & religiosè decantandum omnes aſſurgant.

30. In Choro eadem omnibus ſtandi, ſedendi, genua

nua flectendi, inclinandi, & caput aperiendi, aliarumquè cæremoniarum ratio ſeruetur.

Alternis recitent, vel canant, idque non curſim & perturbatè, ſed diſtinctè, leniter, ſtudioſèque, & attentè.

Colloquia, riſus, iocos, rixas, literas, & aliorum ſcriptorum lectiones omnino vitent, ac dum ſimul omnes diuinum officium celebrant, nemo priuatè recitare audeat. *Clemēt. 1. de celebr. Miß. & diſt. 37. c. turbatur.*

Quæ à Cantoribus Organo canuntur, vt Gloria in excelſis, & ſimilia, in Choro omnino legantur, vt ſuperius in rubrica de Organo dictū fuit, & interim deuotè, & cū ſilentio omnes maneant.

31. Miſſa Cōuentualis hora in rubricis ſtatuta, nēpe poſt Tertiam, Sextam, vel Nonam, iuxta dierum qualitatem, & ſolemnitatem, inuiolabiliter celebretur; eo vero tempore, quo celebratur, nemo ſtallum proprium deſerat, confabulationes, deambulationeſque vitentur. Ac celebraturus poſt miſſam Conuentualem non niſi poſt cōmunionem; poſt lectam vero nō niſi poſt Agnus Dei à Choro recedat.

32. Chirothecis inter canēdum ne vtātur in Choro, à quo, peracto officio, nemo diſcedat, vel conſurgat, niſi dato ſigno, & tunc alternis ſalutationibus adhibitis, ordinatim exeant, nec in Eccleſia, ſed in Sacriſtia ſuperpelliceam exuant.

Illud etiam ſummopere animaduertant, ne in Choro, officio peracto, negotia licet ad Capitulum ſpectantia pertractentur, ſed ad locum proprium remittantur.

33. Et quia vt diuinum officium, ac Miſſæ opportuno tempore, tam in Cathedrali, quàm in alijs Eccleſijs perſoluantur, certas horas, quibus ſingulis menſibus ad Matutinum, & reliquas horas pulſari campana debet, tabellam ad hoc cōfectā præfigi iuſſimus; eam obſeruari mandamus; diebus verò ſolemnioribus ob multiplicem occupationem aliter Præfecto Chori facultatem diſponendi concedimus. Demum ſi quis in aliquo eorum, quæ ad diuinum officium ritè perſoluendū præcipimus, deliquerit, prima vice à Chori ſuperiore moneatur: niſi reſipuerit, ad Epiſcopum eius nomen deferatur, qui pro ratione culpæ in illum ſuo arbitratu animaduertet.

DE IIS, QVI DIGNITATES, ET CAnonicatus habent, præſertim in Cathedrali. Cap. III.

QVi Dignitates, aut Canonicatus in Eccleſijs, ſiue Cathedrali, ſiue Collegiatis obtinent, ſui nominis, atque inſtitutionis memores, ea pietate, diligentiaque diuina officia

cia colere debent, vt alijs ſuo exemplo ad ſtudium, amoremque diuini cultus facem præferãt. *Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 12.*

Cum autẽ Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, cuius nobis cura merito maximè cordi eſt, Canonici iam inde ab recuperatæ à Rogerio Sicilię tempore Ordinis Sãcti Benedicti Religioſi fuerint, nũc vero Monachis vita functis, Summorum Pontificum Pij Quarti, & Pij Quinti auctoritate Religioſi Canonicorum ſtatus in ſæcularem mutatio facta ſit, cuius rei Bulla extat tenoris ſequentis, Videlicet.

PIus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Epiſcopo Catanien. ſalutem, & Apoſtolicã benedictionem. Hodie à nobis emanarunt literæ tenoris ſequentis, Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In eminenti militantis Eccleſiæ ſpecula cõſtitutus Romanus Pontifex, Beati Petri Cœleſtis Clauigeri ſucceſſor in cunctas Orbis Eccleſias, Terręque amplitudinem pręcipuũ facultatis obtinens principatum, inter multiplices curas, quibus occurrentibus negotiorum varietatibus obſidetur, illam libenter amplectitur, per quam Cathedralium Eccleſiarum inſignium venuſtas, & decor augeatur, & ad id eò libentius impellitur, quò à prædeceſſoribus ſuis Romanis Põtificibus

iam cęptum fuiſſe, & Catholicorum Regum vota id expoſcere,& alias in Domino ſalubriter expedire conſpicit. ſanè dudum felicis recordationis Pio Papę Quarto prędeceſſori noſtro pro parte Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & bonæ memoriæ Nicolai Mariæ Epiſcopi Catanien. tunc in humanis agentis expoſito, Quòd cum dilecti filij Monachi Eccleſiæ Catanien. Ordinis Sancti Benedicti, in qua vnus Prioratus dignitas inibi poſt Pontificalem maior,& tres aliç dignitates, vel officia clauſtralia perpetua, ad pro tempore exiſtentis Epiſcopi Catanien. collationem ſpectantia erant, nullus autem determinatus Monachorum numerus exiſtebat. Partim ob inueteratam quamdam illorum licentiam, ſeu potius abuſum antiquum viuendi, propriumque habendi ritum per literas per officium ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ expeditas confirmatum; Partim ob eiuſdem Nicolai Mariæ Epiſcopi apud Infideles captiuitatem, ac temporum malitiam in diſſolutæ vitæ irregularitatem prolapſi eſſent, & cò vſquè in illa obduruiſſent, vt parua, ſeu nulla ſpes ipſi Epiſcopo reliqua eſſet, illos, qui tunc decem ſolum exiſtebant, ad priſtinum regularem ſtatum reduci poſſe. Præterea quoque populo Catanien. adeo eſſent exoſi,

vt

vt pauci reperirentur, qui in dicta Eccleſia diuinis intereſſe, confeſſionis pœnitentiæ,& communionis, aliaue, præterquàm Baptiſmi, idque admodum rarò, Sacramenta ibi recipere, aut concionibus aſſiſtere, quiue Religionem inibi vtpotè relaxatam ingredi vellent. Et in eadem expoſitione ſubiuncto, quòd ſi dicta Eccleſia, quæ de iurepatronatus eiuſdem Philippi, etiam Siciliæ Regis ex priuilegio Apoſtolico, cui non erat eatenus in aliquo derogatum, exiſtebat cum ſuis monachis, Dignitatibus, officijs, & dependentijs, ad ſtatum ſæcularem reduceretur. Ac ibi vltra quatuor Dignitates, duodecim Canonicatus,& totidem præbendæ ſeu præbendarum loco diſtributionis quotidianæ, ac etiam duodecim perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica, hebdomadarie nuncupanda, perpetuo erigerentur. Ipſis decem monachis ſuas quatuor Dignitates vel officia retinētibus, & in numerum duodecim Canonicorū huiuſmodi, ſaluis tamen tribus ſubſtantialibus votis per eos emiſſis, cum facultate ſuum regularem habitum ſub ſæcularium Præsbiterorum veſte deferendi, ſeque in reliquis, Canonicis ſæcularibus conformandi comprehenſis. Ac fructus, redditus, & prouentus tàm Dignitatum, & officiorum prædictorū, quàm Prioratuū, & Cappellarum ab ipſa Eccleſia dependentium

menſæ Capitulari dictæ Eccleſiæ applicarentur. Omneſque in quotidianis diſtributionibus inter ipſos Dignitates obtinentes, ac Canonicos, & Hebdomadarios nuncupandos Beneficiatos, ſiue in fructibus, redditibus, & prouentibus, ſiue in diſtributionibus quotidianis ipſius Epiſcopi arbitrio, & prout illi videretur poſtmodum repartiendis, conſiſterent, ex hoc ſanè tantis ſcandalis, & incommodis ſalubriter obuiaretur, ac Eccleſiæ decori, & diuini cultus augmento, Monachorumque, & populi animarum ſaluti hac ſpirituali cōſolatione plurimum conſuleretur, Idem prædeceſſor meliori ſtatui dictæ Eccleſiæ, & diuini cultus in ea incremento opportunè conſulere volens, eorumdem Philippi Regis, & Nicolai Mariæ Epiſcopi ſupplicationibus inclinatus, ad diuini nominis laudem, & gloriam, ac militantis Eccleſiæ exaltationem, necnon dictæ Eccleſiæ decus, & honorem, In eadem Eccleſia Catanien. omnibuſque & ſingulis illius Dignitatibus, officijs, & portionibus dictum Ordinem Sancti Benedicti, ac omnem ſtatum regularem, necnon Prioratum clauſtralem, omniaque & ſingula alia illius Dignitates & officia, monachales portiones, ac Eccleſias non conuentuales, Prioratus, & Cappellas ab eadem Eccleſia mediatè, vel immediatè dependentia, vbique locorum conſiſten-

tia

tia regularia, etiam ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſeruata exiſterent, & ad illa conſueuiſſent, qui per electionem aſſumi, eiſque cura etiam iuriſditionalis immineret animarum, ſuper eis quoque inter aliquos lis, cuius ſtatum idem prædeceſſor haberi voluit pro expreſſo, penderet indeciſa: quæ videlicet per monachos ipſos ex tunc, quæ vero per alios quoſcunque in titulum, vel commendam obtinebantur ex tunc ex ea die, & econtra cum primum illa per ceſſum etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu quamuis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem modernorum illorum poſſeſſorum, etiam apud ſedem Apoſtolicam, etiam commendis ceſſantibus vacare contingeret ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuo ſupprimi, & extingui. Statumque regularem Eccleſiæ huiuſmodi in ſtatum Canonicorum, & Præsbiterorum, ac Clericorum ſæcularium immutari, & ad ſtatum ſæcularem penitus reduci. Ac Capitulum ſæculare cum menſa Capitulari, Arca, ſigillo, alijſque prærogatiuis, & inſignijs Capitularibus in eadem Eccleſia Catanien. inſtitui. & in illius Priorem maiorem, omneſque, & ſingulos inibi Dignitates, & officia etiam clauſtralia, ac monachales portiones, aliaque beneficia obtinentes, ac ceteros monachos,

aliaſque perſonas ordinem ipſum, tam ibi, quàm alibi tacitè, vel expreſsè profeſſos, etiam ad ipſam Eccleſiam quomodocunque translatos, ab obſeruatione conſtitutionum, & ordinationum, inſtitutionum, & conſuetudinum Ordinis, necnon ſtatutorum Eccleſiæ prædictorum, & quorumcunque per eos in profeſſione huiuſmodi emiſſorum votorum, Caſtitatis, Obedientiæ, & Paupertatis votis dumtaxat exceptis, necnon à Regula Sancti Benedicti, & ſecundum illam, diuini officij recitatione. Itaut Prior, Canonici, & perſonæ ſæculares ipſius Eccleſiæ ſæcularis Catanien. exiſterent, & pro talibus haberentur, tenerentur, & reputarentur, ac nominarentur. Necnō de cetero eiuſdem ordinis regularia inſtituta, ordinationes, diffinitiones, & mores, quò ad diuinorum in eadem Eccleſia celebrationem, ieiunia, victum, & ciborum vſum, ac quæcunque alia, ad quæ ratione dicti Ordinis tenebantur, in futurum obſeruare minimè tenerentur. Sed in ordine, cæremonijs, ritu, inceſſu, moribus, & vita quod ad omnia ſæcularibus Canonicis, & perſonis aliarum Cathedralium ſæcularium Eccleſiarum partium illarum, ſe omnino, & vbique conformare. Necnon Horas Canonicas, & alia diuina officia in eadem Eccleſia ſecundum ritū, & conſuetudinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ recitare

citare liberè, & licitè valerent. Sic tamen quòd monachi, qui habitum Sancti Benedicti dimittere nollent, in illo quamdiu vellent, remanere poſſent, & nihilominus in diuinis in ipſa Eccleſia deſeruiendo tantum perciperent, quantum vnus alius Canonicus ipſius Eccleſiæ, ſederentque, & incederēt, vocemque cum alijs Canonicis ſecundum Ordinem præfatum haberent, dummodo in diuinis, & Eccleſiaſticis officijs, ſæcularibus ſe conformarent, penitus abſolui, & totaliter liberari. Ac in ipſa Eccleſia loco quatuor Dignitatum, ſeu officiorum ſuppreſſorum huiuſmodi, alias quatuor Dignitates, inter quas vna eſſet poſt Pontificalem maior, ſub vocabulis, de quibus ipſi Epiſcopo videretur. Et vltra illas, duodecim Canonicatus, & totidem præbendas, vel eorum loco diſtributionum quotidianarum portiones. Necnon duodecim perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica Hebdomodarias nuncupāda. Quorū omnium collatio & prouiſio ad pro tēpore exiſtentem Epiſcopum Catanien. præfatū pertineret pro quatuor perſonis Dignitates huiuſmodi obtenturis, ac duodecim Canonicis, & totidem Præsbiteris, ſeu Clericis perpetuis ibi beneficiatis hebdomadarijs nuncupandis. Qui Dignitates, Canonicatus, & Præbendas huiuſmodi obtinentes per ſeipſos, aut alios, prout

eidem

eidem Epiſcopo videretur, ſingulas dictæ Eccleſiæ maiores nuncupandas, Miſſas celebrare, & decantare, necnon in omnibus horis de more incipiendo, & debito modo iuxta prouidam ordinationem per Epiſcopum præfatum deſuper faciendam, finiendo aſſiſtere tenerentur, erigi, & inſtitui. Necnon omnes, & ſingulos fructus, redditus, & prouentus omnium & ſingulorum Dignitatum, officiorum, portionum, Prioratuum, Eccleſiarum, & Cappellarum, aliorumque beneficiorum ſic ſuppreſſorum prædictorum, menſæ Capitulari Eccleſiæ prędictæ, ita quod liceret, eidem Epiſcopo arbitrio ſuo fructus, redditus, & prouentus ipſos in diſtributiones quotidianas pro Dignitates, Canonicatus, ac ſimplicia beneficia prædicta obtinentibus, & diuinis intereſſentibus partiri, & annectere, liceretque eiſdem Dignitates obtenturis, Canonicis, & Capitulo per ſe, vel alium, ſeu alios ſuppreſſorum Dignitatū, officiorum monachalium portionū, Prioratuum, Eccleſiarum, Cappellarum, aliorumque beneficiorum huiuſmodi fructus, redditus, & prouentus propria auctoritate liberè exigere, leuare, & percipere, ac in ſuos, & dictæ menſæ vſus, & vtilitatem quotidianarum diſtributionum, prout ipſe Epiſcopus prouidè diſpoſuiſſet erogationē, & ſuſtentationem conuertere. Necnon Eccleſijs

Prio-

Prioratuum, & Cappellarum ſic ſuppreſſorum huiuſmodi quatenus curatæ eſſent per Præsbiteros ad eorum nutum ponendos, & amouendos, ac per ipſum Epiſcopum approbandos in diuinis deſeruiri, illarumque Parochianorum animarum curam exercere, & illis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari facere, cuiuſuis licentia deſuper minimè requiſita, eadem auctoritate perpetuo applicari, & appropriari. Et inſuper ſtatui, & ordinari quòd perpetuis futuris tēporibus nullus Hebdomadarius modò aliquo in dicta Eccleſia admitteretur, niſi benè legere, & ſufficienter cantare ſciret, & actu Præsbiter, vel in ea ætate in qua infra annum ex tunc proximum ad ſacros, etiam Præsbiteratus, ordines, quocunque impedimento ceſſante promoueri poſſet, conſtitutus exiſteret. Et ſi ſecus quocunque medio, vel ſub cuiuſcunque auxilio, fauore, vel prece alicui modo pręmiſſo non qualificato de aliqua hebdomadaria Eccleſiæ huiuſmodi prouideri contingeret; tunc Capitulum præfati vnum alium conducturum loco illius nō qualificati inſtituere, & eidem de fructibus dictæ hebdomadariæ reſpondere. Necnon quòd Dignitates ipſas pro tempore obtinentes, ac Canonici, Hebdomadarij, & Capitulum præfati ad omnia & ſingula officia, & onera, quæ ante ſuppreſſionem huiuſmodi Eccleſiæ

eiuſdem Dignitates,& officia, beneficiaque ſuppreſſa prædicta, pro tempore obtinentes, reſpectiuè tenebantur, in omnibus & per omnia nihil penitus ommiſſo, tenerētur. Ac quòd maior poſt Pontificalem,& aliç Dignitates illis quatuor monachis, qui quatuor Dignitates, ſeu officia ſuppreſſa ante illorũ ſuppreſſionem huiuſmodi obtinebant. Necnon Canonicatus & præbendæ erecti, & à primæua illorum erectionę huiuſmodi reliquis Eccleſiæ huiuſmodi Monachis, qui tempore publicationis reductionis huiuſmodi in humanis egiſſent, etiam ſi in habitu regulari remanere maluiſſent, ceteri verò Canonicatus, & præbendæ, ſeu diſtributionum portiones, ac ſimplicia beneficia prædicta, etiam à primæua illorum erectione huiuſmodi vacantia perſonis idoneis, ad id per ipſum Epiſcopum nominandis, & nullis alijs per eumdem prędeceſſorem,& Sedem præfatam, liberè conferri deberent, ſeu ſi præfato Epiſcopo magis videretur, per eum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum ſimiliter conferri poſſent. Quorum tamen omnium tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, & præbendarum, ac ſimplicium beneficiorum ſic erectorum, vacatione illorum deinceps pro tempore occurrēte, collatio, prouiſio,& omnimoda diſpoſitio ad ipſum Epiſcopum Catanien. pro tempore exiſtentem

pleno

pleno iure pertinere. Quodque Dignitates obtinentes, iuxta prouidam ipſius Epiſcopi diſpoſitionem, Canonici vero iuxta ſuam antiquitatem, & in Canonicos receptionem, ſtallum in Choro, & locum in Capitulo, proceſſionibus, & alijs actibus dictæ Eccleſiæ habere deberent, & quod in Sacris non conſtituti vocem nullam in Capitulo haberent. Quodque Dignitates obtinentes, ac Canonici, & Beneficiati prædicti eidem Nicolao Mariæ, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Catanien. eiuſque paſtorali iuriſditioni, ſubiectioni, & obedientiæ, prout tempore ſuppreſſionis, & reductionis huiuſmodi ſubiecti erant, perpetuo ſubijcere. Ipſeque modernus, & pro tempore exiſtens Epiſcopus, ſolus, ſi ſibi videretur, aliàs vna cum Capitulo præfatis pro felici ſtatu, & ſalubri directione eiuſdem Eccleſiæ, quæcunque ordinationes, & ſtatuta ſalubria, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, ſuper diuinorum officiorum celebratione, & agendis per miniſtros eiuſdem Eccleſiæ, ac honore, & debita reuerentia ſuperioribus exhibendis. Necnon delatione almutiarum, capparum, & ſuperpelliciorum. Necnon præeminentia eorumdem Capituli, Dignitateſque obtinentium, ac Canonicorum prædictorum pro tempore exiſtentium,

tium, quàm in eadē Eccleſia, & illis Choro habēre deberent, ac capitulis generalibus, vel particularibus, & Synodo celebrandis: Ac dimiſſionibus fructuum, ſiue diſtributionum in horis canonicis perceptione, & amiſſione, & alijs omnibus, decorem, & honeſtatem Eccleſiæ præfatæ, etiam quod ad bonos mores miniſtrorum prædictorum concernentibus, necnon quæ ſuper præmiſſis maiori declaratione indigebant, etiam illa non obſeruantes diſtributionibus priuando, & aliàs mulctando, condendi, edendi, & condita quoties videretur alterandi, & in meliorem, & ſanctiorem ſententiam mutandi, plenam, liberã, & omnimodam auctoritatem, & facultatem cōcedi. Præterea præfatos Monachos, & eorum ſingulos, qui forſan propter tranſgreſſionem inſtitutorum regularium præfatorum, aliaue præmiſſa, aliquam apoſtasiæ notam, ſiue irregularitatem, aut inhabilitatem incurriſſent, ab huiuſmodi exceſſibus, & apoſtasiæ reatu, & quibuſuis excommunicationis, & ſuſpenſionis alijs ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas præmiſſorum occaſione quomodolibet forſan incurriſſent, prædicta auctoritate abſolui. Ac cum eis ſuper irregularitate, ſi quam cenſuris huiuſmodi forſan ligati, Miſſas & alia diuina officia celebrando, aut illis ſe immiſcendo, vel aliàs cōtra-

traxiſſent. quodque omnibus & ſingulis etiam Pręsbiteratus ordinibus per eos antea ſuſceptis, vti, & in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrarē. Necnon quæcunque, quotcunque & qualiacunque cum cura, & ſine cura, aliàs tamen ſe inuicem compatientia beneficia Eccleſiaſtica, etiã ſi Canonicatus, & præbendæ, Dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus & Metropolitanis vel Collegiatis ſæcularibus, & Dignitates ipſæ in Cathedralibus etiã Metropolitanis poſt Põtificales maiores, ſeu Collegiatis Eccleſijs huiuſmodi parochiales forent, ſi eis aliàs canonicè cõferrentur, aut eligerentur, præſentarentur, vel aliàs aſſumerentur ad illa, & inſtituerentur in eis poſt ſuppreſſionem, & reductionem huiuſmodi, ac ſi nunquam Regulares fuiſſent, recipere. Et illa necnon quæcunque, quotcunque, & qualiacũque alia beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, etiam ſi ſæcularia parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ vicariæ forent, quæ eorum ſinguli etiam ex quibuſuis concéſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum & commendam obtinebant, necnon in quibus, & ad quæ ius eis, & eorum cuilibet competebat, vt prius retinere. Necnon quaſcunque penſiones annexas ſuper quibuſuis fructibus

ctibus redditibus, & prouentibus Eccleſiaſticis eis aſſignatas, vt prius etiam quo ad viuerent percipere. Ac quibuſuis gratijs, & indultis, ac diſpenſationibus eis catenus, & eorum culibet Apoſtolica, vel alia quauis auctoritate quomodolibet conceſſis, vti, & gaudere, & beneficia ſub eiſdem diſpenſationibus comprehenſa, recipere, & iuxta illarum tenores retinere. Et nihilominus eidem Eccleſiæ Catanien. ac illius Capitulo, & alijs etiam Dignitates, Canonicatus, & præbendas, etiam inibi pro tempore obtinentibus, ceteriſque perſonis eiuſdem Eccleſiæ ſæcularis pro tempore exiſtentibus, tàm coniunctim, quàm diuiſim, quod omnibus & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, fauoribus, prærogatiuis conceſſionibus, gratijs, indulgentijs & indultis Eccleſiæ, eiuſque perſonis huiuſmodi per quoſcũque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, aut alias perſonas, tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, etiam Imperatores, & Reges, ac alios Principes quomodolibet conceſſis, ac omnibus alijs, quibus Cathedrales Eccleſiæ ſæculares; & illarum Canonici, Dignitates, & perſonatus, & alia beneficia in eis obtinentes de iure vel conſuetudine vtebantur, potiebantur, & gaudebant, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valerent, diſpenſari, eiſque pariter indulgeri, omnemque inhabili-

bilitatis, & infamiæ maculam, ſiue notam per eoſdem monachos, & eorum ſingulos præmiſſorum occaſione quomodolibet contractam penitus aboleri. Necnon obtenta beneficia, & iura in eis vel ad illa quomodolibet quæſita propter reductionem, & ſtatus huiuſmodi immutationem, non vacare, & commendas non ceſſare, ac diſpenſationes, gratias, & indulta, ac priuilegia huiuſmodi plenum firmitatis robur obtinere, & cum derogationibus omnibus & ſingulis alijs in eiſdem contentis literis eiſdem Eccleſiæ & Capitulo, ac ſingulis monachis prædictis, etiam poſt ſtatus regularis huiuſmodi alterationem, ſuffragari poſſe & debere, in omnibus & per omnia perinde ac ſi reductio, immutatio, & abſolutio prædictæ minimè factæ forent. Necnon ſuppreſſionem, extinctionem, applicationem, appropriationem, erectionem, inſtitutionem, immutationem, abſolutionem, reductionem, & diſpenſationem, aliaque præmiſſa, ac literas tunc deſuper conficiendas, ſub quibuſcunque reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus ſimilium gratiarum, & literarum, etiam per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, quauis occaſione vel cauſa pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis

omnino exceptas, & quoties illæ emanarent, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, reintegratas, & de nouo cõceſſas fore, & cẽſeri, & ad id vt ſub reuocationibus, ſuſpenſionibus, & derogationibus huiuſmodi non comprehenderentur ex tunc præſertim quod ad vacatura beneficia prædicta verè, & non fictè ſuum plenarium effectum ſortitas, & non de vacaturis, ſed de vacantibus beneficijs factas, & per illas etiam ex tunc Capitulo, eiuſque menſæ prędictis ius in re quæſitum eſſe, ac eos ſolam fructuum, reddituum, & prouentuum perceptionem, realiſque poſſeſſionis apprehenſionem expectare, ac regulis de annali, & triennali poſſeſſore gaudere. Necnon quaſcunque collationes, prouiſiones, commendas, & alias diſpoſitiones de vacaturis beneficijs huiuſmodi quomodolibet, etiam per eumdem prædeceſſorem, & ſedem prædictam etiam cum quibuſuis literarum deſuper conficiendarum huiuſmodi ſuſpenſionibus, vel derogationibus forſan faciendis, nullas, & inualidas, nulliuſque roboris vel momenti fore, nec cuiquam aduerſus eaſdem literas in aliquo ſuffragari, ſed illas pro nouis præmiſſorum conceſſionibus, & reſtitutionibus haberi. Ipſiſque literis per quaſcunque alias literas, etiam quaſuis ſpeciales, vel generales, etiam derogatoria-

toriarum derogatorias efficaciores, & inſolitas clauſulas, irritantiaque, & alia decreta ſub quacunque verborum expreſſione in ſe continentes nullatenus derogari poſſe, neque cenſeri, & aliter factæ derogationes nemini ſuffragari. Ac eaſdem literas nullo vnquam tempore quouis quæſito colore, vel ingenio, etiam prænarratorum non facta verificatione de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis ſuæ defectu notari, vel impugnari poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & inuiolabiliter obſeruari, ipſiſque Epiſcopo, Eccleſiæ, & Capitulo in omnibus, & per omnia ſuffragari, neque Epiſcopum, & Capitulum præfatos, aut quoſuis alios ad prænarratorum verificationem teneri, nec ad id à quoquam inuitos compelli, & ſic per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, ac eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, & quauis aliter iudicandi facultate, iudicari, & diffinire debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum & inane decerni.

Sub data videlicet XV. KAL. Maij, Pontificatus ſui Anno Quinto, conceſſit. Nos vero attendentes Pium prædeceſſorem præfatum ex ſuppreſſione, & extinctione Dignitatum, monachalium portionum, & beneficiorum prædictorum, atque applicatione fructuum menſæ capitulari, ac erectione quatuor Dignitatum erigendarum, ac omnibus, & ſingulis alijs ſupradictis, nullum nunc Dignitates, monachales portiones, ac beneficia huiuſmodi obtinentibus, eorum vita durante, etiam quod ad illorum fructus, redditus, & prouentus præiudicium inferre voluiſſe. Ac volentes etiam præfati Philippi Regis precibus adducti hoc pium, & laudabile dicti prædeceſſoris inſtitutum, propter dicti Nicolai Mariæ Epiſcopi obitum, literiſque Apoſtolicis deſuper, cum dictus prædeceſſor antequam eius literæ deſuper conficerentur, ſicut Domino placuit, ab hac luce migrauerit, non confectis, nec abſolutis, proſequi & abſoluere. Habita ſuper his cum fratribus noſtris deliberatione matura de illorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Conceſſionem prædeceſſoris huiuſmodi, omniaque & ſingula in ea contenta, & inde ſequuta quæcunque. Hoc tamen excepto, quòd Prior, & Monachi nunc inibi exiſtentes, ſæculares minime fieri,

ri, nec ad ſæculum redire poſſint, ſed vt prius eorum vita comite, ſub illius, quem profeſſi ſunt ordinis obſeruantia perpetuo in Domino famulari, & conuentualiter viuere debeant, & teneantur. Quodque ex fructibus beneficiorum ſuppreſſorum huiuſmodi, cum primum illa, aut eorum aliqua per illa ad præſens obtinentium obitum, aut aliàs vacare contigerit, duæ Canonicis, & vna pars Beneficiatis, ſeu Hebdomadarijs præfatis pro eorum dote, donéc ſuppreſſio ſuum plenarium ſortiatur effectum. Et cum illa ſuum effectum huiuſmodi ſortita fuerit, ac fructus pro æquali diſtributione inter eos facienda, ſufficient centum cuilibet Canonico, & quinquaginta ducati cuilibet Beneficiato, ſeu Hebdomadario. Si verò fructus, redditus, & prouentus pro diſtributione huiuſmodi non ſufficient Canonicis duæ; & Beneficiatis ſiue Hebdomadarijs præfatis vna partes, ſicut præfertur, aſſignentur. Nec etiam præfatis quatuor Dignitatibus aliquid ex prædictis fructibus aſſignetur, ex alijs enim redditibus illæ dotabuntur. Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omneſque, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint,

in eiſdem ſupplemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiæ, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, adiectionis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, Quingẽteſimo Seſſageſimo Octauo, Quinto Idus Februarij, Pontificatus noſtri Anno quarto. Cum autem præmiſſa omnia, & ſingula exequutioni debitæ quantocyus demandari deſideremus, illorũ omnium & ſingulorium negotium & exequutionem tibi Apoſtolica auctoritate per præſentes committimus, teque ſuper eiſdem omnibus, & ſingulis exequutorem deputamus, non obſtãtibus omnibus quæ in dictis præinſertis volumus non obſtare. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Seſſageſimo octauo, Quinto Idus Februarij, Põtificatus noſtri Anno Quarto.

Virtute

Virtute cuius Bullę Apoſtolicæ loco Regularium ſucceſsère, quatuor Videlicet, qui Dignitates obtinent, & Canonici duodecim, ex quibus Capitulum conſtat totidemque Beneficiati, qui quidem quę olim Regulares obire munia ſoliti erant, ea nunç ipſi ſubire debent.

Atque vt ea, quæ ſingillatim quiſque obire debeat, quoue loco habendus ſit intelligatur, de ſingulis diſtinctè agemus.

34. Ac primum quidem de Priore, qui Primam poſt Pontificalem Dignitatem obtinet. Is in Capitulo primum ſuffragium feret, ſupra ceteros in Choro ſedebit, digniorique loco in ſacris proceſſionibus incedet; cumque Canonico hebdomadario in ipſius Prioris ſtallo pro officio ſolemniter celebrando, ſedere contigerit, tunc Priori Cantoris ſedes erit aſſignanda. Ad ipſum ſpectat Capitulum cogere, niſi de rebus ad menſam Canonicalem pertinentibus habendum ſit; tunc enim ad Canonicum antiquiorem ſpectabit.

Eius item curæ ſit, eos, qui cum debuerint, nō tamen celebrauerint, recognoſcere, mandareque per ſchedulam ſua manu ſubſcriptam, vt ex eleemoſynis, quas Cuſtodiatus appellant, ad eos ſpectantibus, qui celebrauerint eorum loco, alijſque, ſingulis menſibus eleemoſynæ tribuantur.

35. Secundam Dignitatem obtinet Cantor, cuius

partes erunt; Priore abſente, eius vicemgerere muniaque illius exequi, cui, ſi abſit, ſuccedit Decanus, qui tertiam Dignitatem obtinet, aut Theſaurarius, qui Quartam habet; vel ſi omnes, qui Dignitatem habent fortaſſis abſint, ille qui inter Canonicos primum locum pro ſua antiquitate obtinet.

Cantoris præterea erit, ſuis temporibus choro intereſſe, Antiphonas, Pſalmoſque de more intonare.

In ſacris vero proceſſionibus in medio Capituli cum baculo ſeu virga argentea incedere.

36. Theſaurarij vero curæ eſt, Eccleſiæ Cathedralis iocalia, & cuiuſuis materiæ ſupellectilem, & ſacra vaſa diligēter ſeruare, ex quibus nihil prorſus, niſi cum expreſſa Epiſcopi facultate cuipiam accomodare poſſit, aut ipſo abſente, eius qui proximè ſuccedit, Prioris, aut Cantoris, aut Decani, niſi fortè Epiſcopus Vicario ſuo Generali id curæ mandauerit.

Nihil autem eorum particulari alicuius ex Capitulo vſui applicetur, ſed cuncta indiſtinctè omnibus ſint expoſita, diſtinctè tamen Canonicis à ceteris Præsbiteris.

Reddituum vero ad Sacriſtiam ſpectantium adminiſtratio, prout hactenus à Generali Vicario

rio Epiſcopi, vna cum Priore exerceatur. expenſionum autem ratio in fine cuiuslibet anni omnino ab Epiſcopo videatur, à quo Depoſitarius eorumdem redditūum eligi debet.

Claues, quas habet apud ſe, Sanctuariorum videlicet, ac Theſauri, aliaſque, quarum ſimiles item Prior habere debet, nemini credat, niſi vrgente neceſſitate. quo caſu, alicui ex Capitulo, non tamen Priori, qui etiam abſens ſuas Cantori dimittat. Atque in proceſſione Diuæ Agathæ, ac Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ante ſacra fercula pluuiali indutus, atque argenteum baculum manu gerens, incedet. & ſi abeſſe contigerit, is qui ſuccedit Canonicus id munus præſtabit.

37. Hi quatuor Dignitate fungentes, cum Pontificem abeſſe contigerit, alternatim & ſucceſſiuè Miſſæ Sacrificium ſolemni ritu peragent, feſtis ſcilicet diebus Paſchæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Natalis Domini, & Sanctiſſimi Corporis Chriſti: At Diuæ Agathæ die, die item octaua, & Tranſlationis reliquiarum ipſius, Canonicus Hebdomadarius eo fungetur munere, vt hactenus fieri conſueuit.

In die vero Cœnæ Domini, is qui primam obtinet Dignitatem.

38. Decretũ quod ad diuini cultus,& Cathedralis

Eccle-

Eccleſiæ ſplendorem augendum, auctoritate Apoſtolica, & tanquam Sedis Apoſtolicæ in hac parte Delegato ab Illuſtriſſimo noſtro prædeceſſore Anno M. DC. XI. Menſe Aprili Die 21. fuit promulgatum, renouantes ſtatuimus vt omnes redditus, qui ex ſuppreſſis, & ſiquæ ſunt ſupprimendis beneficijs colliguntur, aut colligẽtur, quæ ad Regulares Canonicos, & Dignitates obtinentes, antequàm regularis ſtatus in ſæcularem facta eſſet mutatio, pertinebant, omnino ad duodecim Canonicos, totidemque Beneficiatos, ſeu Hebdomadarios pertineant, itaut vna pars Hebdomadarijs, duæ verò Canonicis præbendæ loco cedant.

Vnciæ verò trecẽtæ ſeſſaginta, quæ ex redditibus noſtræ Epiſcopalis mẽſæ Canonicis, & Hebdomadarijs, qui diuinis officijs intererant, ſalarij nomine ſolui ſolebant, vna cum alijs quadraginta, quæ quatuor Dignitates obtinentibus aliquãdo perſolutæ fuerunt, quæ omnes ſummam vnciarum quatricentarum efficiunt, quotidianis diſtributionibus applicentur, & quotidianæ diſtributiones ſint, & eſſe intelligantur; debeantque per ſingulos menſes inter ipſos, qui Dignitates habent, Canonicos, & Beneficiatos, qui diuinis officijs interſunt, iuxta formam quæ continetur in tabella à nobis edita, & manu noſtra ſignata,

diuidi,

diuidi, & diſtribui, itaut vnciæ ducentæ octoginta octo, quatuor Dignitates habentibus, & Canonicis duodecim perſoluantur; reliquæ centum duodecim Beneficiatis, ſeu Hebdomadarijs æquè diſtribuantur.

Verum ſi (id quod futurum ſperamus) qui quatuor Dignitates obtinent, ſuas dotes aliunde conſequenter, tunc ex proprijs præbendis tertiã partem ex præſcripto Tridentini Concilij diſtributioni quotidianæ inter ipſos diuidendæ, aſſignare teneantur; & quæ hoc tempore ipſis Dignitates obtinẽtibus, tum ex noſtræ menſæ redditibus, tum ex ijs, quę Canonicis, & Beneficiatis ſolui tantũ conſueuerant, ſoluuntur, ſuppreſſa omnino intelligantur, & Canonicis & Beneficiatis diſtributionum quotidianarum loco ſuccedant.

39. Porrò ad diuinas laudes perſoluendas per vices ſuas in hunc modum conuenient, qui ad Cathedralem ſpectant, vt ſingulis hebdomadis duo ex Dignitates obtinentibus, ac Canonici ſex ſemper interſint, ac præterea nouem ex Beneficiatis.

Singulis diebus duo ex Capitulo Miſſæ ſacrificium in Eccleſia Cathedrali celebrabunt; vnus quidem ſolemni ritu, & cantu; qui ſemper ex Canonicorum numero, non eorum, qui Dignitatem obtinent, eſſe debebit; alter priuatam quam vocant Miſſam celebrabit.

In

In ſacris proceſſionibus, Hebdomadarius pluuiali ornatus, medius inter miniſtros incedet.

Ordinariæ verò proceſſiones, in quibus Capitulum incedere mos eſt, hæ ſunt.

MENSE IANVARIO.

20. Sancti Sebaſtiani.

FEBRVARIO.

3. Nuncupata, la luminaria.

4. Diuæ Agathæ.

APRILI.

25. Sancti Marci.

MAIO.

10. Sancti Cataldi.

IVNIO.

17. Diuæ Agathæ.

Rogationum.

Bullæ Sanctiſſimæ Cruciatæ.

Feſti Sãctiſſimi Corporis Chriſti, eiuſq; Octauæ.

Qualibet Sexta Feria menſis Martij.

41. Si quando ad funus proſequendum, Capitulũ ire contigerit, vnciæ ſeptem, ac tareni viginti ipſi

Capi-

Capitulo obuenient, quas diuidere oportebit inter Vicarium Generalem, Dignitates obtinentes, Canonicos, Beneficiatos, inter quos Magiſter Cappellanus, ac Magiſter Cæremoniarum tàm in hoc, quàm in ceteris prærogatiuis computantur, reliquoſque Sacerdotes, Clericos Seminarij, Sacriſtas, ac eos, qui Crucis, & Campanæ iure gaudent, vt hactenus fieri conſueuit.

Si quis autem eorum, qui conuenire ad funus debuiſſent, abeſſe contigerit, de hac ſumma detrahendum eſt id, quod abſenti, ſi præſens adfuiſſet, cedere debuerat.

42\. Si verò defuncti cadauer in Eccleſia Cathedrali ſepeliendum ſit, præter vncias ſeptem, & tarenos viginti, quos diximus, intortitia etiam & candelæ Canonicis, & Beneficiatis cedant, inter eos qui præſentes fuerint partienda. Salua tamen Quarta quæ Epiſcopo iure cedit. quod etiam in omnibus Eccleſijs, in quibus officium circa corpus defuncti ad Capitulum ſpectabit, erit obſeruandum.

43\. Campanæ in funeribus noctu non pulſentur, niſi vſque ad primam noctis horam, vel vna item hora ante ortum Solis.

44\. Capitulum diebus feſtis, vel dum ſacra officia celebrantur, omnino vetamus, niſi fortè ſumma neceſſitas ſecus aliquando poſtularet.

Ab

Ab inuocatione Sancti Spiritus incipiat, & oratione dimittatur. Superior, qui id neglexerit, aureum ſoluat.

Singulis quindecim diebus in Sexta feria Capitulum cogatur de rebus ad Canonicalem menſam pertinentibus. ad quod Canonici ſolum conueniant. ſingulis autem menſibus etiam qui Dignitates obtinent, interſint, deque rebus ad omnes pertinentibus agatur.

Capitulares omnes ad Capitula accedant, & tractandis à Capituli Præfecto propoſitis, vota ordinatim, ac gradatim ferant, quæ à Secretario diſtinctè notentur, vt ſecundum maiorem votorum partem concludatur.

Nemo à Capitulo recedat, niſi rebus tractatis, ac diſcuſſis, & gratiarum actione abſoluta. ſub pœna tarenorum ſex, vſui Sacriſtiæ applicanda; in quam etiam incurrant ij, qui legitime non impediti, interuenire neglexerint.

Riſus, ioci, ac rixæ vitentur, negotia ſine tumultu, & ſtrepitu, ſed modeſtè tractentur. Capitulares in loquendo, & reſpondendo modeſtè & grauiter ſe ſe gerant; nemo niſi loco ſuo loqui præſumat, dicentem non interpellet, & vanis diſceptationibus ne contendat. Si quis autem iurgijs, contumelijs, aut ſimilibus alterum affecerit, per ſex menſes actiua & paſſiua voce,

voce, ac ab ingreſſu capituli priuatus intelligatur. quod ſi eo tempore nihilominus admiſſus fuerit, Capitula nulla, & inualida declaramus.

45. In principio cuiuslibet Capituli Secretarius in præcedenti conuentu determinata, iterum proponat, vt videatur, an exequutioni ſint demandata.

Eius etiam curæ ſit, eos, qui Capitulo non interuenerint, notare, & Capituli Depoſitario denunciare, vt pœnas ſuper fructibus retinere poſſit.

46. In electionibus quorumcunque officialium, ac in alicuius momenti negotijs deliberandis, vota & ſuffragia occulta recipiantur, vt vnuſquiſque animi ſui ſententiam liberè proferre valeat, alterum pro altero præſente votum ferre omnino ne liceat. vnde electiones, & alia aliter facta hac Synodali conſtitutione nulla & irrita ipſo facto decernimus.

Ac ne temerè quiſpiam in rebus grauioribus ſententiam ferat, cùm de ijs in Capitulo agendum erit, omnes tribus ſaltem ante diebus moneantur.

Meminerint autem omnes non ſine piaculo de rebus, quæ in Capitulo acta, tractataque fuerint, poſſe cum exteris agere, aut loqui, ſed ſub ſecreti ſigillo omnia continenda eſſe.

Con-

Contrauenientes, actiua & paſſiua voce per ſex menſes eo ipſo priuati exiſtant, ac alijs pœnis arbitrio Epiſcopi mulctentur.

Quod tamen nihil impedit quò minus Epiſcopo tractata reuelare, ab eoque interrogati reſpõdere poſſint.

47. Cum autem de alienationibus, ſiue conceſſionibus bonorum, ſiue Eccleſiarum ad menſam pertinentium, tractandum erit, id inconſulto Epiſcopo ne fiat.

48. Officiales ordinarij, prout ſunt Secretarius, Depoſitarius, & ſimiles, primo die Septembris cuiuslibet anni eligantur, & completo anno, noui nominentur. quidquid poſt annum per eos actum extiterit, irritum ſit, & inane.

Depoſitarius in fine anni, duobus à Capitulo deputatis, intra dies quindecim rationem eius, quod penes ſe peruenerit, reddat, & reliquorum notam ſucceſſori conſignet.

Officium à Capitulo demandatum, ne recuſetur, niſi iuſta, & legitima cauſa ab eodem Capitulo votis ſecretis approbanda. renuentes abſq; iuſta cauſa, diſtributionibus vnius menſis priuentur.

49. Præter Secretarium, etiam Cancellarium eligi iubemus, cuius munus ſit, prouentuum capitularis menſæ rationem adhibere, cum tabulis accepti,

cepti, & expenſi. Pecunias item penes Depoſitarium ſoluendas notare, quas quidem Depoſitarium recipere inhibemus, niſi mandato Cancellarij in ſcriptis exhibito.

Librum etiam per Cancellarium confici iubemus in quo priuilegia, conceſſiones bonorum, ac iura omnia ad Capitulum ſpectantia regiſtrentur, & penes eumdem conſeruentur.

30. Et vt ſcripturarum omnium, quæ ad Capitulum pertinent, omni futuro tempore certa ratio habeatur, in Archiuio deputando eas conſeruari mandamus, cuius claues penes Secretarium, Cãcellarium, & antiquiorem ex Canonicis conſeruentur, indeque ſcripturam aliquam transferri abſque Capituli facultate, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ nemini liceat.

31. Inſignibus omnes vtantur, quæ præter antiquiora priuilegia, Pius Quintus Pontifex Maximus in Bulla mutationis ſtatus ingenti liberalitate conceſſit. Nemo itaque feſtis ſaltem diebus Canonicorũ, & Hebdomadariorum, tum Collegiatarum, tum Cathedralis Eccleſiæ Canonicatus inſignia, aut Dignitatis, aut beneficij, quod obtinet in Eccleſia tempore diuinorum officiorum deponat.

32. Procurationem vero vnam tantum, aut alteram Canonici ſuſcipiant, præter quas, reli-

quas omnes hoc de genere procurationes, irritas, nullaſque eſſe, ac fore decernimus.

53. Literis ne ſubſcribant Canonici, niſi res, de qua ſcribitur, Capitulo vocatis omnibus probata fuerit. quod ſi res alicuius momenti fuerit, aut in præiudicium tendat alienum, id exequutioni mandetur, quod maior Canonicorum pars per ſecreta ſuffragia faciendum iudicauerit. Si vero res de qua ſcribetur, non erit circa ea, quæ ad Canonicorum patrimonium pertinent, etiam à Dignitatibus erunt literæ ſubſcribendæ.

54. Ad diuina officia perſoluenda conueniant omnes. ac primum quidem in veſtiario ſuis quiſque inſignibus ſe ornet, datoque ſigno, bini prodeant graui, modeſtuque inceſſu ad Chori ſubſellia occupanda: quò neminem Chori Præfectus excommunicationis propoſita pœna, ſine ſuperpelliceo, ac proprijs inſignibus introire permittat. quod ſi quis auſus fuerit tamen, is, licet ſuperior ſit, punctationis pœnam ſubibit prima vice: ſi iterum, ſoluat ſex tarenos; ſi tertiò, aureum; ſi quartò, denuncietur Epiſcopo, vt arbitrio illius puniatur.

55. Interea dum ſacra officia perſoluuntur, nemini liceat à Choro recedere, niſi de Prioris faculta-

culta-

cultate, vel eius, qui Prioris loco ſuccedit, eo abſente. qui ſecus fecerit, punctationis pœnam ſubeat prima vice; ſi ſecundò, tarenos duos ſoluat; ſi tertio, mox Epiſcopo denuntietur, qui pro ſuo arbitratu in illum animaduertet. Si autem erit ſtatim reuerſurus, ſufficiet veniam à Chori Præfecto capitis inclinatione petere.

Inter canendum verò ita ſe gerat vnuſquiſque interius, exteriuſque, vt de ipſis dici iure non poſſit, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. *Matth. 15.*

56. Caueant igitur ne vlla de re in Choro ſermo miſceatur. riſus arceantur. literæ ne legantur, ſed partes ſuas vnuſquiſque religiosè, & qua decet attentione exequatur. Ad hæc Prior, & eo abſente, Chori Præfectus neminem Clericorum abſque bireto clericali, & ſuperpelliceo in Choro eiſe patiatur; officio demum perſoluto, eadem modeſtia, eodemque ordine in Sacriſtiam omnes redeant, quo ad Chorum venerunt, niſi fortè Epiſcopum comitari contigerit.

57. Eius, qui inter Beneficiatos nouiſſimum locum obtinet, curæ mandamus, vt antequàm ceteri in Chorum conueniant, ipſe libros, ceteraque adornet, ac præparet, alioqui punctatione mulctetur, & ſi ſæpius neglexerit, Epi-

ſcopus in illum pro modo culpæ animaduertet.

58. Diuinorum officiorum tempore, nemini liceat ſiue Canonico, ſiue Beneficiato abeſſe à Choro confeſſionis excipiendæ, aut aperiendæ conſcientiæ cauſa, aut ſacrificium peragendi, niſi forte is ſit, qui tanquam hebdomadarius ad rem diuinam faciendam ſe colligere, ac præparare vellet. qui ſecus fecerint, abſentiæ pœnam incident. quam etiam pœnam ſubibunt, qui antequam horæ perſoluantur, à Choro recedent.

59. Beneficiati Antiphonas Dignitatibus, & Canonicis prænuncient, cum Clericos Seminarij abeſſe contigerit.

60. Ex Beneficiatorum numero duo fide digni eligantur, qui Punctatorum munus fideliter, ac ea, qua par eſt, diligentia exequantur. ij vero antequam id muneris ineant, quò religioſius excitentur ad debitum, in ſuo munere obeundo, officium cum fidelitate diligentius adhibendum, in hanc formam iurent, Ego N. N. Punctatoris officium, quod ſuſcepi, promitto, ac ſpondeo me fideliter, ac ſincerè, quantum in me eſt, exequuturum: ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Poſtquam in hunc modum iurauerint, ſuum

munus

munus exequi aggrediantur, ne precibus, amore, minis, aut terroribus animum inducant, vt aliquem, qui peccauerit, excuſent à punctatione, ſciantque ſe obnoxios reſtitutioni, ſi quempiam iniuſtè excuſauerint.

Punctatorum erit, diligenter obſeruare eos, qui in aliquo ex ijs, quæ prædiximus, peccauerint, atque in libro punctationis adnotare. ſi qui verò abſentiæ ſuæ rationem Vicario reddet (cuius prudentiæ erit, an iuſta ſit adiudicare) Vicarij ipſius arbitratu, vel delebit notam, vel ſeruabit.

61. Porrò iuſta abſentiæ cauſa illa cenſebitur, ſi aduerſa valetudine, aut carceribus detineri, ſi Epiſcopi, aut Capituli iuſſu ob Eccleſiæ vtilitatem alibi diſtineri contigerit. excommunicatio autem, aut interdictum, aut ſuſpenſio, idonea abſentiæ excuſatio non erit. vt hac ratione ad abſolutionem impenſius efflagitandam excitentur qui cenſuris huiuſmodi ligati fuerint. ſi tamen aliquem infirmæ valetudinis prætextu, longo tempore non conuenire contigerit, eius loco alium Epiſcopus deſignabit, qui illius munere fungetur.

62. Præter Dignitates, Canonicos, & Beneficiatos, Clerici, qui Cathedrali Eccleſiæ ſunt aſcripti,

ti, munia ſua exequantur, ac dominicis, & feſtis diebus ad maiorem Miſſam, ac Veſperas conueniant. idque ſinguli ſuperpelliceo induti perſoluant; quod ſi ſecus fecerint, perinde ac ſi non ſeruierint cenſeantur; nec pro maioribus ordinibus ſuſcipiendis, nec pro quacunque alia cauſa ſeruitutis abſq; ſuperpelliceo ſuffragium ſibi prodeſſe certò ſciant: idque in ceteris Ciuitatis ac Diœceſis Eccleſijs omnino ſeruetur.

63. Teſtimoniales verò literas ſeruitij, tam pro ordinibus ſuſcipiendis, quàm pro alia quacunque cauſa, à Priore in Cathedrali, à Præpoſitis in Collegiatis, in ceteris Eccleſijs à Curatis obtinebunt.

64. Eleemoſynas, quas in Baptiſmi, Matrimonij, & extremæ Vnctionis Sacramentorum adminiſtratione, tam magiſtro Cappellano Cathedralis, quàm ceterarum Sacramentalium Eccleſiarum Rectoribus præſtari conſuetum eſt, ac Nos iuxta vetuſtiſſimam conſuetudinem peculiari decreto duximus ſtatuendas, nullo modo augeri poſſe decernimus.

65 Demum vt Dignitates, Canonici, ac Beneficiati prædicti proprijs muneribus, tàm in Miſſarum, ceterorumque officiorum celebratione, quàm in reliquis Eccleſiaſticis actibus, præſente, vel abſente Pontifice, prout tenentur, ſatis-

faciant

faciant, in omnibus Cæremoniale Romanum poſtremò editum, vt ad lineam obſeruetur præcipimus. receptas tamen conſuetudines in ijs, quæ ad huius Vrbis Senatum ſpectant, nullo modo reuocantes.

Quod verò ad ea, quæ ad officij recitationem attinent, in nonnullis feſtis diebus, qui in Vrbe ex deuotione coluntur, formulam iuſſu noſtro mox edendam, ab omnibus, & ſingulis, qui ad officium recitandum ordine vel beneficio aſtringuntur, obſeruari mandamus.

66. In Eccleſia Collegiata Ciuitatis Platiæ, conſtitutiones Apoſtolicas, Datas Romæ Nonis Octobris M. DC. III. prout iacent obſeruari mandamus. ac ne pœnæ in illis adiectæ, pecuniariæ maximè contemnantur, Præpoſitus, & eo abſente, Chori Præfectus, eum quem in earum aliquam nouerit incurriſſe, Depoſitario notificare debeat; cuius conſcientiam ſtrictius oneramus. Depoſitarius verò ex diſtributionibus illas retinere ad effectum in prædictis conſtitutionibus contentum, ſub pœna excommunicationis teneatur.

67. In ijs autem, de quibus præfatæ conſtitutiones Apoſtolicæ non meminerunt, omnino decreta præſentis Synodi ad eum planè modum, quo de diuino officio in noſtro Cathedrali perſoluen-

do, ſtatuta exequi mandamus: quòd vero ad reliqua Cæremoniale Romanum nuperrimè editum obſeruetur.

At ne in conſtitutionum prædictarum obſeruatione difficultas aliqua oriatur, illarum nonnullas hic expreſſius apponi decreuimus.

68. In feſtorum ſolemniorum Veſperis, Prępoſitus, eoque abſente, vnus ex Dignitatibus officium celebret, quem ſex Canonici pluuialibus ornati comitentur, ad normam in orbem à Cantore pręſcriptam. in ceteris autem feſtis, reliquis Dignitatibus celebrantibus, quatuor ex his, qui Eccleſię prædictę inſeruiunt Sacerdotes id adimpleant munus.

69. Canonici officium Diaconi, & Subdiaconi celebrante Prępoſito, Diaconi verò tantum celebrantibus ceteris Dignitatibus ſubire in orbem ſecundum tabellam apponendam à Cantore teneantur, niſi ob muneris obeundi qualitatem, turnum non ſeruandum eidem Cantori arbitrari contigerit.

70. Actiones omnes ſolemnium benedictionum, ſiue in Eccleſia, ſiue extra illam, proceſſiones itidem pro re graui indicendę à Prępoſito, eoque abſente, à Dignitatem poſt eum obtinente, fieri debeant.

71. Feria Quarta Cinerum, Dominica Palmarum,

ſum, tribuſque vltimis diebus maioris hebdomadæ, prout hactenus, celebret Præpoſitus, Canonicis pro Diacono, & Subdiacono miniſtrantibus. omnes autem ex Capitulo tribus diebus prædictis choro intereſſe teneantur. abſentes diſtributionibus priuentur.

72. In die Octaua Corporis Chriſti Cantor, & eo abſente Theſaurarius, vel Decanus, infra Octauam vero Canonicus hebdomadarius celebrent.

73. Præter dies feſtos in conſtitutionibus præfatis ſpeciatim nominatos, in feſto Beatæ Mariæ, quod in Eccleſia prædicta Die 3. Maij, quotannis celebratur, vna ex tribus Dignitatibus, prout in orbem obuenire contigerit, celebret, etiam ſi feſtum in alium diem transferatur. quod in omnibus feſtorum translationibus obſeruari mãdamus. in die vero Aſcenſionis Canonicus hebdomadarius celebrare debeat.

DE RELIGIOSA IN ECCLESIIS Conuerſatione. Cap. IV.

QVàm religiosè, deuotè, ac grauiter in cœleſtis Regis Palatio, in quo nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen laudandum, atque adorandum eſt, Chriſti fideles conuenire teneantur ſacræ paginæ non

non ſemel docent. ne igitur domus Dei, quam decet ſanctitudo, latronum ſpelunca, aut negotiationis locus efficiatur.

74. Trid. ſeſſ. 22. de obſ. & eu. in celeb. miſ. Statuimus, Catholicorum Patrum veſtigijs inſiſtentes, ne qua in Eccleſijs ſæcularis actio exerceatur, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores, luctus, ac fœminarum vlulatus in recentibus carorum funeribus, conuentus profani, quos parlamenta vocant, aliaque id genus, procul à ſacris locis arceantur, omni quidem tempore, præcipuè verò dum Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium peragitur, aut ſacræ conciones habentur, vel diuina officia perſoluuntur: qui ſecus fecerit, Sacrorum Canonum, & Conſtitutionis Pij Quinti, alijſque pœnis noſtro arbitratu ſe plectendum nouerit.

75. Si quis autem in Eccleſia, aut in Sacriſtia aleis alioue ludo luſerit, aureis quatuor mulctetur Eccleſiæ ædificationi applicandis. adhæc etiam pœna carceris ad Epiſcopi libitum puniatur.

76. Nemo præterea altaribus, fontique baptiſmalis aquæ, aut aquæ ſanctæ innitatur, aut hæreat; neque vero in limine conſiſtere, aut ante fores Eccleſiæ immorari audeat cũ diuina perſoluuntur officia; pro foribus vero Eccleſiæ nullo vnquam tempore pila ludat, clamores, turbaſque excitet.

Men-

77. Mendici eleemoſynæ cauſa per Eccleſiam ne vagentur, ſed pro foribus à prætereunte populo ſine clamoribus efflagitent, alioqui facultate mendicandi priuentur.

78. In Eccleſia, Vigiliarum, aut alio quouis prætextu pernoctare neque viri, neque mulieres vllo pacto permittantur. quare Clericus, cui Eccleſiæ aperiendæ, aut claudendæ ſuis temporibus cura commiſſa eſt, aut Confraternitatum Rectores excommunicationis pœnam ſubeant, ſi id permiſerint. Nolumus autem prohibere quin Confratres horis cōſuetis pro ſpiritualibus exercitijs ad Eccleſias conuenire valeant, dummodo fores omnino claudantur.

Campanæ in Eccleſijs ne conflentur, nec fabrile quidpiam fiat, niſi quod alibi fieri in Eccleſiæ vſum non poſſit.

79. Si quis in Eccleſia, earumue cœmeterijs graues turbas excitare ſtricto gladio, aut alio ſimili modo auſus fuerit, in excommunicationem ipſo facto incurrat. carceri præterea mancipetur, qui pro qualitate delicti Epiſcopi arbitratu punietur, ex ſacrorum Canonum præſcripto.

Profanarum rerum contractus in Eccleſijs, ſub excōmunicationis latæ ſententiæ pœna, tam à contrahentibus, quàm teſtibus, ac mediatoribus ſubeunda, ne fiant. declaramus eiuſmodi

contra-

contractus in Epiſcopali Curia irritos futuros; exceptis tamen contractibus matrimonij, rerũque ad Eccleſiam pertinentium.

80. Neque Curati, neque Sacerdotes alij, multòque minus laici Eccleſijs, & Sacriſtijs pro ſcola vtantur, in qua pueros Grammaticæ rudimẽtis, aut humanioribus literis imbuant niſi forte facultatem ab Epiſcopo obtinuerint. qui ſecus fecerit, primum in vnius aurei pœnam incurrat, grauioribus deinde, niſi reſipuerit, Epiſcopi arbitratu puniendus mulctis.

Si quæ in Eccleſijs peccata commiſſa etiam à religioſarum familiarum alumnis fuerint, Parochus, aut Eccleſiæ Sacramentalis Pręfectus, intra cuius Parochiæ fines ea Eccleſia fuerit, in qua ſuſceptum eſt ſcelus, Epiſcopo ipſi, aut Vicario ſaltem per literas quàmprimum ſignificet.

81. Et vt profana, & indecora, quæ in Eccleſijs aliquando fieri ſolent, omnino vitentur, præcipimus vt omnes Eccleſiæ Parochialibus exceptis, niſi eo tempore quo miſſæ, aut alia diuina officia celebrantur, fores habeant occluſas: Parochiales vero, dato ſalutationis Angelicæ ſigno, claudantur, aliàs qui Eccleſiæ curam habent, duorum aureorum pœna mulctentur.

DE VERBO DEI.
Cap. V.

VT Dei Verbum, quo veluti pabulo fides Catholica nutritur, & peccatores quaſi ſtimulo ad ſeriam, veramque pœnitentiam excitantur, opportunè, ac ritè proponatur.

82. Parochis, alijſque, quibus animarum cura commendata eſt, mandamus, vt Dominicis ſaltē diebus, ac celebrioribus diebus feſtis pro ſua facultate, & eorum captu, quorum curā gerunt, eos ſalutaribus verbis paſcant; eaque doceant, quæ ſcire omnibus ad ſalutem neceſſarium eſt, vt vitia ex animis euellere, virtuteſque inſerere Chriſtianas oporteat, ne cruciatibus æternis addici mereantur, ſed cæleſtis potius gloriæ participes fieri valeant. *Trid. ſeſſ. 22. de ſacr. Miſſ. c. 8.*

83. Nemo, cuiuſcunque ordinis ille ſit, tàm in propria, quàm in Eccleſia aliena concionem ad populum habere audeat, niſi prius ab Epiſcopo, præter ſui Superioris adprobationem, facultatem, aut benedictionem obtinuerit, iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta. Antequàm vero pręedicationem incipiant, profeſſionē fidei coram Epiſcopo, ſeu eius Vicario Generali in Vrbe; in Diœceſi verò coram Vicario loci *Trid. ſeſſ. 5. c. 2.*

ſemel

ſemel emittere teneantur, emiſſæque impoſterum teſtimonium in ſcriptis oſtendere ſatis ſit.

In Eccleſijs monialium ſine ſpeciali facultate nemini prædicare permittatur.

Religioſi, qui Quadrageſimæ, & Aduentus Dominici tempore concionaturi mittuntur, eorum impenſis alantur, quorum hactenus conſueuerunt.

84. Vicarij foranei Villarum Catanæ, & Ciuitatis Acis, nullum eligi Concionatorem permittant, niſi conſulto Epiſcopo, ſub pœna vnciarum quatuor.

85. Ante Dominicam ſaltem Septuageſimæ quilibet Vicarius nos certiores reddet, an deſignatum habeat Concionatorem, qui per Quadrageſimæ tempus verbo Dei populum paſcat: quod ſi ij, ad quos de conſuetudine ſpectat, neglexerint, ne populus eo anno abſque Dei verbi pabulo remaneat, nos pro eo anno Concionatorem deſignabimus, & qui ſolent, eleemoſynam, & alimenta præſtare cogentur.

Ad concionem audiendam mares à fœminis quantum fieri poteſt, diſtinctis locis collocentur, telis interpoſitis, quas Eccleſiarum Rectores tolli nunquam permittant.

86. Concio vero inter Miſſarum ſolemnia habeatur ſtatim atque Euangelium recitatum fuerit,

vel

vel in fine, vt commodius populo futurum videtur.

Ea vero, quæ de Domini cruciatibus haberi conſueuit de nocte, impoſterum ne fiat, ſed mane diei Paraſceues habeatur ſermone graui, reiectis ijs quæ vel dubia ſunt, vel apocryphum redolent, atque apparatus illi, qui ad extinguendam potius, quàm excitandam pietatem faciunt, prorſus tollantur. Reliquis etiam temporibus nemo ſiue regularis, ſiue ſæcularis, nec poſt occaſum Solis, nec ante ortum concionari audeat. *S. Caro. p. 3. in inſtr. pre. verb. Dei.*

87. Eò potiſſimum Concionator orationis neruos intendet, vt vitiorum, in quæ frequenter homines labuntur, turpitudinem, fœditatemque demonſtret, quibus à fidelium cordibus euellendis omnem operam adhibeat. Virtutum ſemina inſerat; in prauas conſuetudines acriter, ſed cum modeſtia inuehatur. ritus denique laudabiles grauiter commendet. *2. ad Timot. 4.*

88. Populum ſæpiſſime ad primitiarum ſolutionem excitet. Confeſſarioſque interim admoneat, vt eos, qui ſoluere recuſant, tanquam abſolutionis beneficio indignos, minimè abſoluant. *Trid. ſeß. 25. de ref. c. 12.*

Ad populum rudem quæſtiones difficiles, atque errores Hæreticorum minimè adducat, veritatem Catholicam tantummodo explicet, ne puſilli ſcandalizentur, & in cōcione neminem pau-

perta-

pertatis prætextu, niſi de voluntate Vicarij commendet.

Vniuſcuiuſque ordinis, & conditionis homines inſtruat, atque ipſorum officia doceat, porrò quæ diſſerit, Sacrarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum teſtimonijs cõfirmet: ex quibus etiam excerpet quæ ad pietatem excitandam plurimum valent.

89. Curabit Epiſcopus, quos ad concionandum miſerit, ne falſis criminationibus, aut alio quouis modo per calumniam vexentur.

90. Si cui verò ſacras Indulgentias, atque adeo ipſam Sanctæ Cruciatæ Bullam promulgare cõtigerit, prudenter, grauiterque ſe gerat, itaut nihil earum dignitati deroget, neque verò ſuperſtitioſum aliquid, aut ambiguum, aut falſum addat, ne eo fine, excitandi videlicet ad pietatem populi, iniuriam Deo inferat. neque enim ipſe noſtro indiget mendacio.

Ad tollẽdos verò abuſus, qui in promulgatione Indulgentiarum irrepſerunt, Concionatoribus, Parochis, alijſque perſonis quibuſcunque nouarum Indulgentiarum promulgationem, niſi ab Epiſcopo ſint recognitæ, & approbatę inhibemus; illæ vero quæ hucuſque perpetuo, vel ad tempus conceſſæ ſunt, ſingulis annis Epiſcopo vt recognoſcantur, exhiberi debent.

Corpo

91. Corporis afflictationes, vt ieiunia, flagellationes, ceteraque id genus populo commendet, moneatque omnino tum peruigilijs Sanctorum, quatuorque temporibus, tum verò maximè in Quadrageſima, non à carnibus modo, ſed ab ouis etiam atque ab ijs, quæ ex lacte cōficiuntur, abſtinendum eſſe.

Prædicationis demum tranſacto tempore, Epiſcopo renuntiet, quæ in populo, ad quem miſſus fuit, corrigenda iudicauerit, vt animarum ſaluti opportunè prouideatur.

DE DOCTRINA CHRISTIANA. Cap. VI.

92. PRima Catholicæ Fidei rudimenta ſi humanis mentibus iam inde vſque à pueritia fuerint inſtillata, ea facilè, quale eſt hominum ingenium, ad ſenectam vſque ætatem tenaciſſimè conſeruabuntur. Quamobrem Parochis, ac Sacramētalium Eccleſiarum Præfectis huius rei curam maximè commendamus, eoſque obnixè rogamus, vt in ſuis quiſque Eccleſijs Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitium inſtituat, in quo qui adſcripti fuerint id muneris ſuſcipient, vt dominicis, feſtiſque diebus Parochum, ſiue Curatum in hoc ſaluberrimo docendi munere adiuuent.

Quibus autem in locis eiuſmodi ſodalitium inſtitui non poteſt, in ijs, duo vel tres homines auctoritate grauiores, ac Deum maximè timentes deligantur, qui pro Chriſtiana pietate pueros à ſexto ad quintumdecimum annum ad Curatum adducant, à quo in Eccleſia fidei rudimentis imbuantur.

Patres, & Matres Familias in Domino obſecramus, vt Filios, Filiaſque quamuis Nobiles, ad hanc ſpiritualem exercitationem mittant, cogitentque ſe Domino in die Iudicij rationem reddituros negligentiæ ſuæ, qua tum ſibi, tum filijs animæ periculum creauerunt. Id ipſum Curati cum feſtis diebus concionem habuerint, vrgere non deſinant.

93. Docendi munus, Dominicis, feſtiſque diebus dato campanæ ſigno pomeridianis horis ipſimet Curati primi omnium per ſe obibunt, quem tamen reliqui Sacerdotes, & Clerici eidem Eccleſiæ adſcripti ſedulò, ac ſtudiosè adiuuabunt; atque vt omnes facilè condiſcant, & intelligant, clara voce, & vulgari lingua ea, quæ docent, breuiter, & dilucide exponant. Curatus qui id intermiſerit, ſingulis vicibus tarenis ſex mulctabitur. vbi vero plures ſunt Cappellani, per vices ſuas id muneris obibunt.

Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 4.

94. Et vt erga idem ſanctum opus maiori ſtudio

omnes

omnes afficiantur, diebus, quibus ad docendum diſcendumque congregabuntur, tam ijs qui docendi munus obibunt, quàm eis, qui inſtruendi interuenient, Indulgentiam quadraginta dierum concedimus.

95. Neque vero facile eos abſoluant, cum confeſſiones excipiunt Sacerdotes, qui fidei rudimenta recitare memoriter neſciuerint, ac pro cuiuſque captu explicite non intellexerint.

Patres familias, Dominos, ceteróſque quoſcunque aliorum curam habentes, in confeſſionibus non ſolum moneant, vt omni diligentia eorum filios vel famulos doctrinam Chriſtianam addiſcere curent, ſed diuinam vltionem contra negligentes nuntient, ac grauiſſimam pœnitentiam imponant.

DE CVRATIS, EORVMQVE OFFICIO. Cap. VII.

QVI ceteris præſunt, eos non cunctis modo carnis paſſionibus ſuperiores, atque in ſpirituali vita exercitatos eſſe oportet, ſed ſcientiæ facem omnibus prælucere neceſſum eſt. magnum enim ſuæ, ſubditorumque animabus periculum crearet, qui temerè ſcientiarum doctrina minime præditus, Paſtorale munus

ſuſcipere auderet. ars enim artium eſt regimē animarum. Quamobrem noſtrę Diœceſis tum Parochi, tum quocunque nomine Curati, non exēplo ſolum ad bona ſectāda opera ſubiectorū animas inducant, ſed eorum quoq; corda arentia doctrinæ fluentis irrigare ſtudeant: quamobrem ſi quādo alterutrum præſtare Curatus nequiuerit, videbit Epiſcopus pro ſua in Deum pietate, & prudentia, an Curatus huiuſmodi ſit amouendus.

96. Curati ſæcularium rerum cura prorſus abiecta, cognatorum, fratrum, nepotum negotijs ne ſe implicent; ab omni quæſtuoſæ mercaturæ ſpecie negotiationibus, prædiorumque conductionibus abſtineant, atque huic vni rei omnem operam, curam, induſtriamque adhibeant, vt populum fidelem doceant, dirigant, inſtruant, & ſalutis viam verbo & exemplo commonſtrent, aliorumque Clericorum vitam, moreſque diligenti inſpectione cuſtodiant.

97. Parochiam ſæpe luſtrent, an publici peccatores adſint, quos ſi monitos pertinaces inuenerint Epiſcopo denuncient. Diſcordes ad concordiam reducant. Thorum matrimonialem deſerentes moneant, & ſi perſeuerauerint, Epiſcopum conſulant. Num Cingari Chriſtianè viuant obſeruent, & ſummoperè ſtudeant, vt mulierum ſuperſtitionibus ac maleficijs deditarum notitiam

habeant,

habeant, vt re ad nos delata, ſeuerè puniantur.

Infirmos viſitare ne prætermittant, & in articulo mortis conſtitutos ne deſerant; ad reſiſtendum Diabolo in eorum tranſitu adiuuent. pauperioribus, & miſerabilioribus, in carcere detentis eleemoſynarum auxilio ſubueniri procurent: animarum eis creditarum ſaluti inuigilent: in adminiſtratione Sacramentorum ſollicitè ſe gerant, alias grauiter ſe puniendos eſſe animaduertant.

Dominicis diebus, ieiunia in hebdomada occurrentia populo denuncient, necnon excommunicatorum nomina, quorum etiam tabellam in Eccleſia expoſitam teneant; Regulareſque certiores faciant, vt ab omnibus euitentur.

Medicos item moneant, ne infirmos, qui in- 8. Martij
fra triduum peccata confeſſi non fuerint, iuxta 1566.
Bullam Pij Quinti, viſitare præſumant.

Excommunicatos, qui in excommunicatione per ipſum annum perſeuerauerint, Epiſcopo deferant. Edictum generale prima Dominica poſt Cineres promulgari curent.

98. De primo Viſitationis die, quem Epiſcopus ſtatuerit, certiores facti Curati, ſedulò populum adhortentur, vt peccata confeſſi, ſacram etiam Euchariſtiam ſuſcipiant, præcipuè verò

pro ſalutari Viſitationis euentu ardentes Deo preces fundant.

Moneant populum, vt iuxta Concilij Turonenſis decreta, Confirmationis Sacramentum ſuſcepturi, & reliqui omnes fideles cum Magiſtratu aduentanti Epiſcopo obuiam procedant, & ſtatis Hymnorum, Pſalmorumque precibus cum gaudio, & reuerentia eum tanquam vices Chriſti Domini gerentem ſuſcipiant, prout in Rhotomagenſi Concilio ſancitum eſt, cuius Canone excommunicatio ijs conſtituta erat, qui huic muneri defuiſſent, atque interim dum per Vrbem, Oppidumue Epiſcopus primùm incedit, campanæ, vt moris eſt, ſolemni ſono pulſentur.

Sacriſtìam adornent, in qua expoſita ſint ſacra indumenta, ſacra vaſa omnia, & vniuerſa Eccleſiaſticæ ſupellectilis inſtrumenta, vt vnico intuitu cuncta inſpici poſſint. Libri præterea, ac volumina Eccleſiaſtica, inſtrumenta, ſcripta, legata, redditus, inuentaria denique tum Reliquiarum, ſi quæ fuerint, tum ſacrarum veſtium, eorumque omnium, quæ ad Eccleſiam ſpectabunt.

Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 1.

In promptu habeant libros, in quos baptizatorum nomina, confirmatorum, eorum qui in Paſchate communicauerint, defunctorum, & eorum qui matrimonium contraxerint, relata ſunt.

ſunt. quos omnes duplicatos habebunt, vt eorum ſingulos Epiſcopo viſitanti conſignent: proprios verò non alibi quàm in Sacriſtia, in arca claue bene clauſa conſeruent. ad extremum liber exhibeatur, quo per familias deſcripti ſint, qui intra fines cuiuſque Parochiæ habitauerint, itaut facilè animarum numerus intelligi poſſit, ſecundum formam, quæ in Rituali Romano poſtremo edito traditur.

Libros etiam proprios, quos habere Curatos decet, exhibeant, nimirum Breuiarium, Miſſale Romanum, librum Sacramentorum, ſiue Sacerdotale, Sacra Biblia, Cathechiſmum Romanum poſtremò in lucem editum, Tridentinum Concilium, ac Diœceſanam Synodum, Summamque aliquam Caſuum conſcientiæ, & Rationale Diuinorum officiorum.

Si quæ in Oppido, aut cuiuſque Parochia irrepſerint vitia, ea Curatus in Viſitatione prudenter Epiſcopo detegat, vt gregi ſuo remedium ſalutare, atque opportunum afferre poſſit.

Pauperum, Viduarum, Pupillorum, & aliorum verè miſerabilium nomina Epiſcopo deferat, vt ille pro ſua pietate earum miſeriam adiuuet, opemque ferat.

Quæ omnia, ac ſingula in Diœceſana Synodo ſancita, aut in Viſitatione decreta fuerint, ea ſer-

uet diligenter, curetque ſeruanda. quod ſi alij ad illa exequenda ſegnes fuerint, vt Epiſcopalium decretorum contemptores Epiſcopo ſignificare teneatur.

99. Curati, ceterique Confeſſarij, etiam Regulares, infirmos fraudulenter, & importunè non opprimant, vt ſibi, aut eorum Eccleſijs legata relinquant, ſed teſtantium voluntatem liberam eſſe ſinant, aliàs ipſo facto facultas eis confeſſiones audiendi conceſſa, ſuſpenſa intelligatur. infirmos autem generaliter ad opera pia facienda monère tantum permittitur. Nemo verò audeat directè, vel indirectè impedire quin infirmi à perſonis religioſis viſitentur, aut legata pia, aliaſque diſpoſitiones facere volentes, perturbare, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

100. Parochi, ceterique Eccleſiarum Rectores campanas in proprijs Eccleſijs pulſari ante Solis ortum, in meridie, ac poſt occaſum pro Angelica ſalutatione non permittant, niſi poſt ſignum dandum ab Eccleſia maiori, ſub pœna ab ipſis, ijſque qui eas pulſauerint luenda quatuor aureorum Sacriſtiæ maioris Eccleſiæ applicanda.

101. In ædium benedictione die Sabbati ſancti facienda. caueant ne ſigno, aut nutu, nedum verbis

bis quidquam pro benedictione petant, aliàs grauiter punientur.

102. In die Pentecoſtes artificia ſulfurea fieri in Eccleſijs, nec columbas, aut alia animalia proijci ne permittant. In Veſperis Innocentium non concedant Clericos pueros induere ſacras veſtes, neque agere ridicula.

Laicis, & maximè Coniugatis Euchariſtiæ Sacramentum quotidie ne miniſtrent, eoſque ad cœleſtem illam menſam accedere ferè ſemel in hebdomada conuenientius eſſe admoneant. *Ex D.Bonauen.& D.Tho.*

Mulieres poſt partum mox vbi conualuerint non expectato quadrageſimo die, ad Eccleſias accedere debere, doceant.

103. Caueant Sacriſtæ ne veſtimentis cadauera exuant. quod ne audeant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ inhibemus.

104. Pro Eccleſiarum Parochialium, ac populi ſeruitio Curati prope Eccleſias habitare curent; vbi verò id commodè haberi non poteſt, ſaltem Sacriſta in Eccleſia, vel prope eam commoretur. officium Sacriſtæ nequaquam mulieribus committatur, committiue permittatur. *C.vt q.ſqs de vit.& hon. Cler.*

105. Laudabilem conſuetudinem proceſſionis Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia Parochiali tertia Dominica cuiuſque menſis approbamus,

Cleri-

Clericos omnino intereſſe præcipimus. in ijs Eccleſijs, in quibus adhuc inſtituta non fuit, inſtitui hortamur, ac intereſſentibus quadraginta dierum indulgentiam concedimus.

In die Cœnæ Domini in maiori Eccleſia Sacerdotes omnes, & Clerici cuiuſque Parochiæ Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiant.

106. Non audeant Curati, vel alij Sacerdotes, aut Clerici Eccleſiæ bona mobilia, vel immobilia alienare. qui ſecus fecerint, præter iuris pœnas decem aureos ſoluant ei Eccleſiæ, cuius bona abalienauerint. quod ſi neceſſitas id aliquando poſtulare videbitur, Epiſcopus moneatur, qui Eccleſiæ neceſſitate, aut vtilitate perſpecta, quod æquum fuerit imperabit.

Nec mobilia bona Eccleſiæ, vt calices, ornamenta, ſacra indumenta, aliaque eiuſmodi commodato dentur, ſine Epiſcopi facultate. ne forte, quod ſæpè accidit, ea occaſione eiuſmodi res damnum aliquod patiantur. quæ vero minoris pretij fuerint, cum alteri Eccleſiæ eiuſdem loci opus fuerint, commodari poterunt, præſertim ſi nullum ex commodatione damnum timeatur, nec facilè ab Epiſcopo facultas peti poſſit.

107. Illud autem omnino prohibemus, ne ſacræ veſtes, & alia, quæ ad ornatum Eccleſiæ pertinent,

ad

ad ornandas laicorum domos, aut ſedes, aut honeſtanda funera commodentur. qui ſecus fecerit, Eccleſiæ cuius veſtimenta fuerint, quatuor aureos ſoluat.

108. Nullum, ſiue Regularem, ſiue ſæcularem, præter eos, quibus Epiſcopus poteſtatem concionãdi ſcripto fecerit, Curati in Eccleſijs ſibi commiſſis prædicare permittant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio.

Si quem vero inter concionandum aliquid vel à Catholica fide alienum, vel bonis moribus noxium dixiſſe deprehenderint, ſub pœna excommunicationis, Epiſcopum de tota re certiorem reddant.

109. Nullas pro fidelium cadaueribus ſepeliendis pactiones ineant, ſed ordinarijs diſtributionibus contenti ſint. à pauperibus verò nihil exigant.

110. Funera ante Solis ortum, vel poſt occaſum, nec inter Miſſæ maioris, aut diuinorum officiorum recitationem, ad Eccleſiam deduci permittant. interea verò dum funus deducitur, Crux præferatur, Clerus Pſalmos, preceſque pro Eccleſiæ conſuetudine recitet, modeſtè ſine riſu, & colloquijs, abſque galèro, aut pallio incedens. nec quiſpiam ab Eccleſia diſcedat, niſi ſacris de more peractis Cæremonijs.

Singularum deinde Eccleſiarum Clerici Cru-

cem

cem comitantes, ad Eccleſias proprias redeant, ſub pœna vnius aurei.

Eleemoſynæ in defunctorum funeribus elargiendæ, non in Eccleſia, nec coram populo, ſed in Sacriſtia, alioue ſeparato loco, peractis officijs, ac vere intereſſentibus diſtribuantur. Curati aliter permittentes arbitrio Epiſcopi puniātur.

Si candelæ in exequijs celebrandis ab hæredibus defunctorum diſpenſentur, accendantur, & non niſi perſolutis exequijs extinguantur.

111. Defunctorum propinquis ſuadeant Curati ne cadauera domi eſſe diu poſt mortem velint, ſed intra horas ad ſummum viginti ſepulchro mandari curent, ne inanibus fœminarum vlulatibus, ac lamentis maior occaſio præbeatur.

S. Carol. tit. de exeq. & ſepult. c. 15. Eos autem, quos repentina morte perire contigerit, nō niſi poſt 24. horas ſepeliri permittant, nec niſi eo anno, tempore ab Eccleſia ſtatuto, confeſſos fuiſſe conſtiterit.

112. *Ex D. Thom. 3. p. q. 68. art. 11.* Si mulierem prægnantem mori contigerit, & infans in vtero viuus eſſe cognoſcatur, cædatur venter, & infans viuus extractus baptizetur.

Illud autem curare ad Chirurgos attinet, hoc vero ad Parochos, alioſue, qui præſto eſſe poſſunt. in eos igitur, à quibus hæc neglecta eſſe cognoſcet Epiſcopus animaduertet.

Mulie-

113. Mulieres poſt cadauera vlulantes, nec in Eccleſijs, & maximè cum defunctorum corpora humanda erunt, ne permittantur, ſub pœna excomunicationis latæ ſententiæ.

Cadauera ex vna ad aliā Eccleſiam exhumata non transferantur, niſi de facultate Epiſcopi.

Anniuerſaria diebus Dominicis, & feſtis, qui ex Eccleſiæ præcepto coluntur, nō agantur.

114. Feſtorum dierum obſeruantiam Curati populo ſæpiſſime perſuadeant, eorumque violatores peccati reos eſſe doceant.

Eidem etiam pœnæ doceant ſubiacere eos, qui ſacri ieiunij diebus, carnes, aliaſue prohibitas eſcas ſine Epiſcopi facultate, aut eius Vicarij in ſcriptis habita, vendiderint. quam facultatem ſi habuerint, nec eas peregrinis, niſi forte infirma fuerint valetudine, nec in loco publico, ſed priuatim aut foribus ex parte occluſis vendere audeant.

DE FESTORVM DIERVM CVLTV. Cap. VIII.

PAſtoralis officij eſſe cenſemus, omni ſollicitudine, diligentiaque curare, vt feſti dies religioſo cultu à fideli populo tranſigantur, cum Sacroſancta Tridētina Synodus id paſtorali curę etiam, atque etiam commendarit, præterquam quod *Trid. ſeſſ. 25. de delec. cib. & dieb. feſt.*

quod ex Veterum Patrum inſtitutis, & Imperatorijs legibus, & nouiſſimè Papæ Pij Quinti conſtitutione id ipſum edicitur.

115. Mandamus igitur vt nequid ſeruilis operis ſacris ijs diebus, qui Eccleſiæ præcepto coluntur, fiat, nec præterea quidpiam, quod in illis agi, geriue non liceat. qui autem ſeruile opus aliquod feciſſe deprehendetur, tam in Ciuitatibus, & Oppidis, quàm in campis, pro prima vice tarenorum ſex, pro ſecunda duodecim, pro tertia vnciæ vnius, pijs operibus applicandæ, pœna mulctabitur. quòd ſi obſtinate perſeuerauerit, grauioribus etiam carceris pœnis Epiſcopi arbitratu punietur.

116. Dies feſtos à dimidia in dimidiam noctem obſeruandos eſſe declaramus.

Interim vero nominatim vetamus ne contractus, vlli cuiuſuis generis ſint, ſiue vllæ rerum exequutiones fiant, niſi cum à iure expreſsè permittitur. Nihil venale circumferatur. officinæ apertæ non habeantur. quæ vero ad victum, vel pro infirmis medicandis neceſſaria ſunt, ea non apertis ex omni parte officinarum oſtijs, ſed tantum per oſtiolum vendantur, nulloque modo ante fores proponantur. qui ſecus feciſſe deprehendetur, prima vice tarenis quatuor mulctetur, rebuſque, quas ante oſtium propoſuerit: ſecunda

vero

vero vncia vna; grauiores etiam pœnas daturus ſi deinceps perſeuerauerit. omnium autem pœnarum pars quarta officialibus deprǽhendentibus cedat. pœnę vero omnes ab officialibus deprǽhendentibus ne exigantur, ſed tantum aliquid loco pignoris capiatur, idque apud Vicarium deponatur, & cum rei pœnam ſoluerint, quarta parte officialibus data, reliqua apud depoſitarium certum in ſingulis locis eligendam deponatur, diſtribuenda ab Epiſcopo pijs operibus eiuſdem loci.

117. Comœdiæ, ludique ſcenici, & alia cuiuſuis generis ne agantur; circumforanei, circulatoreſque ſuis præſtigijs abſtineant, niſi de Epiſcopi aut Vicarij Generalis venia. vncijs quatuor alioqui mulctandi.

118. Feſtis diebus Sacroſancto Miſſę ſacrificio omnes interſint, neque vero fœminæ vllæ ob recentē mariti, aut cuiuſuis alterius ſanguine coniunctiſſimi mortem, vltra menſem excuſentur cuiuſuis conſuetudinis prætextu.

Atque vt hi dies omni pietate, ac qua decet religione colantur, omnes in Domino obſecramus, atque monemus, quod ipſum frequenter & Parochi & Concionatores faciant.

Mane concioni, à prandio ſacræ lectioni, vbi explicari ſolet, interſint, ſacris officijs præſertim Veſpe-

Veſperarum piè, religioſeque adſint: Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis, ac præceptis percipiendis, addiſcendiſque verſentur ægros homines, carceribuſque detentos viſitent, mœrenteſque conſolentur. in ea denique opera incumbant, ad quæ ſacri illi dies inſtituti ſunt.

119. Cum autem feſtus dies aduenerit Sancti, vel Sanctæ cuius patrocinio Oppidum, aut Eccleſia Parochialis dicata eſt, Parochi, aut Sacramentalium Eccleſiarum Præfecti incolas hortentur, vt pridiè eius diei ſanctè ieiunare velint, feſtumque ipſum diem in Sancti illius honorem, venerationemque colant, ab omni ſeruili opere abſtinentes, ſi ita fuerit conſuetudo.

120. Parochi, & Sacramẽtalium Eccleſiarum Præfecti intra Miſſarum ſolemnia die dominico, feſtorum dierum, qui ea hebdomada ex præcepto ſeruandi ſunt, populo denuncient, hortenturque ne ante ſacrificium Miſſæ peractum iter aggredi velint.

121. Dominicis feſtiſque diebus, antequam Miſſæ, quam maiorem appellant, ſacrificium abſoluatur nemo ludere quouis ludo audeat, ne ex ijs quidem qui permittuntur, neque etiam eo tempore, quo diuina officia celebrantur, & dum cõciones habẽtur. & nunquã prope Eccleſiã. Contrauenientes pœna quatuor aureorũ mulctentur.

Cum

122\. Cum autem operandi feſtis diebus venia poſtulatur, quæ tamen non niſi piam, aut neceſſariam ob cauſam concedi debet, nihil ab ijs, quibus eam concedendam committimus, aut vnquam committemus, omnino vel ſponte oblatum recipiatur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Qui autem in his auctoritate noſtra diſpenſare poterunt, ſunt, in Vrbe Generalis noſter Vicarius, in Diœceſi Vicarij foranei, qui non niſi euidenti cauſa, aut pia id concedere velint, veluti tempore meſſis, aut ſerici, ſiue ſementis, alteriuſue ſimilis caſus, cum id tempus breue talem diſpenſationem quærat. cumque id neceſſitas poſtularit, omneſque ea diſpenſatione vti neceſſe ſit, diſpenſatio per publicum actum in Curia ſpirituali regiſtrandum fiat ſemper cum conditione, vt opus non niſi audita prius Miſſa aggredi valeant.

123\. Satellites verò pœnam à reis ne exigant, neque ſponte oblatam recipiant, niſi poſtquam à Vicarijs damnati fuerint, ſed tantum pignora. qui ſecus fecerit, in carcerem conijciatur tridui ſpatio, vel etiam officio priuetur; ſi iterum peccauerit, noſtro arbitratu.

FESTI AVTEM DIES, QVI IN *Diœceſi noſtrà de iure coli debent, hi ſunt.*

Menſe IANVARIO.

1 Circumciſio Domini.
6 Epiphania Domini.

FEBRVARIO.

2 Purificatio B. Mariæ Virginis.
5 S. Agatha Virgo, & martyr.
24 S. Matthias Apoſtolus.
In biſſeſt. 25.

MARTIO.

25 Annunciatio Beatæ Mariæ Virg.

MAIO.

1 SS. Philippus, & Iacobus Apoſtoli.
3 Inuentio S. Crucis.

IVNIO.

24 Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ.
29 SS. Petrus, & Paulus Apoſtoli.

IVLIO.

25 S. Iacobus Apoſt.

AVGVSTO.

10 S. Laurentius Martyr.
15 Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
17 Translatio S. Agathæ. *Per Vrbem tantum.*
24 S. Bartholomæus Apoſtolus.

SEPTEMBRI.

8 Natiuitas B. Maria Virginis.

21 S. Matthæus Apoſtolus.

29 Dedicatio S. Michaelis Archãgeli.

OCTOBRI.

28 SS. Simon, & Iudas Apoſtoli.

NOVEMBRI.

1 Feſtum omnium Sanctorum.

30 S. Andreas Apoſt.

DECEMBRI.

21 S. Thomas Apoſtolus.

25 Natiuitas D. N. Ieſu Chriſti.

26 S. Stephanus Prothomartyr.

27 S. Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta.

FESTA MOBILIA.

Paſcha Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti cum duobus ſequẽtibus diebus.

Aſcenſio D. N. Ieſu Chriſti.

Pentecoſtes, cũ duobus ſequentibus diebus.

Solemnitas Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Dies octauus eiuſdem, *Poſt meridiem in Ciuitatibus, & Oppidis tantum.*

Omnes dies Dominici totius anni.

Ii itidem dies, qui in quolibet Diœceſis loco ex voto coli conſuetum eſt.

DE CONCVBINARIIS. Cap. IX.

124. Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 8. Concubinam nemo ſibi alat, vncijs alioqui quatuor pijs locis mulctandus: ſi tamen vxorem haberet, qui concubinam aleret, triplicatæ pœnæ ſubiaceat, alijſque maioribus, iuxta Sacrorum Canonum ſanctiones.

125. Lenoniam artem nemo exerceat. quique hoſpitia curant, meretrices domi ne teneant, neque domi oſtium, per quod in domos meretricum penetrari poſſit. qui ſecus faxit, fuſtibus publicè cædatur.

Quam etiam pœnam incurret ſi quæ lamentatricis officium faciet, prima vice, præterquàm ſi iterum deprehendatur, perpetuo à loco in quo deliquerit exilio mulctetur, licet in fraganti crimine deprehenſa non fuerit.

126. C. quia & c. ſuper eo de vſuris. Clem. 1. de vſur. Vſuris, illicitaque negotiatione omnes abſtineant, pœnis alioqui mulctandi ex præſcripto ſacrorum Canonum, ac vncijs præterea vigintiquinque pro qualibet vice, alijſque pœnis Epiſcopalis Curiæ arbitratu.

127. Sæculares, Religioſorum, aut Clericorum habitu ne vtantur, multoque magis in Comędijs, actionibuſque profanis, ſub pœna vnciarum

decem: in carcerem præterea conijciantur ad menſem, habituque ipſo mulctentur. Eccleſiaſtici vero, qui tam profano vſui veſtes illas accomodauerint, præterquàm quod veſtibus ipſis mulctabuntur, excommunicationem maiorem incurrant.

Laruatos item veſtibus vti, quibus Confratres ornari ſolent in ſacris proceſſionibus vetamus, ſub pœna vnciæ vnius. quam etiam pœnam incurrat, qui eas commodauerit.

DE LVDIMAGISTRIS.

Cap. X.

QVantum ad rectam Reipublicæ gubernationem momenti habeat puerorum inſtitutio, tum experientia quotidie diſcimus, tum res ipſa per ſe ſatis eſt manifeſta. quos enim inde à pueritia mores induunt, eos vſque ad extremum vitæ ſpiritum ſeruant homines tenaciſſimè. Adoleſcens enim iuxta viam ſuam etiã cum ſenuerit non recedet ab ea. Vt igitur pueros docendi munus rectè, atque vt addecet exerceatur, præcipimus.

128. Vt Ludimagiſtri antequam docẽdi munus ag-

Trid. ſeſſ. 25. c. 2. grediantur, fidei profeſſionem à Pio Quarto Pontifice Maximo formam emittant coram Epiſcopo, aut Vicario Generali, vel etiam foraneis ex Epiſcopi permiſſu: quos non antea munus ſuum exercère permittant Vicarij, aut Curáti, quàm huius rei teſtimonium, ſcriptum, obſignatumque exhibeant.

Gymnaſia non in Eccleſijs, neque in Sacriſtijs, ſed in locis publicis habeantur.

De Præceptorum moribus diligẽter, ac ſecretè Epiſcopus inueſtigabit, quòd ſi verbo, vel exemplo diſcipulis obeſſe compererit, ab officio remouebit.

Approbatio, quam Epiſcopus Ludimagiſtris profeſſis fecerit, eiuſdem arbitrio ad tempus fiat.

Ipſi vero libros vetitos ne habeant, res obſcœnas tractantes, pueris ne perlegant, prout ſunt Terentius, Ouidij metamorphoſis, & ſimilia. diebus feſtis aliqua de Chriſtiani hominis officio diſcipulos doceant. quos etiam ad Chriſtianæ Doctrinæ ſcholam, ſacraſque conciones aut ducant, aut mittant.

125. Decenti aliquo, ac conſpicuo Gymnaſij loco ſacra aliqua tabella collocetur, ad quam diebus ſingulis diſcipuli preces fundant.

Quotidie ſalutationem Angelicã, Orationem Dominicalem, Symbolum Apoſtolorum, Salue, Deca-

Decalogi præcepta, fideique myſteria doceant.

In id autem præcipuè Magiſtri incumbant, vt cum humanis diſciplinis Chriſtianam pietatem ſugant. ad quam perutilis eſt, ſiquid aliud, peccatorum confeſſio. Quam quidem ſingulis menſibus frequentari cupimus ab Auditoribus ſimul atque annos diſcretionis ij attigerint. Magiſtrorum ergo munus erit, primum eos præmonère in ſingulos menſes, vti conſcientiam examinent; deinde mittere ad eos Sacerdotes, quorum ſpectata ſatis ſit virtus, morumque probitas. A quibus demum nomina exigere debent eorum, qui peccata aperuerunt. Si qui ſecus feciſſe deprehendentur, corrigantur, donec ad bonam frugem ſe recipiant. Sed vero magiſtri, qui rem tam grauis momenti neglexerint, Epiſcopi arbitratu punientur, atque officio docendi priuabuntur.

Demum ſtudia pia aliqua oratione inchoent, & concludant. Qui ſecus fecerit, duarum vnciarum pœnam ſubeat prima vice, vel grauioribus etiam pœnis mulctetur ſi iterum in eumdem errorem incidet.

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA. Cap. XI.

130. IMmunitas Eccleſiaſtica Dei præcepto, & Canonicis ſanctionibus inſtituta, ſumma, vt par *Exod. 19. Gen. 46.*

 eſt,

Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 20. eſt, diligentia cuſtodienda eſt, quare nullo modo permittendum vt confugientibus ad loca ſacra, Eccleſiaſque, vis aliqua contra Sacros Canones inferatur. Cauendum tamen eſt maximoperè ne facinoroſi, niſi neceſſitate coacti, ad ea, quaſi in ſacrarum Conſtitutionum fraudem, ac Reipublicæ damnum ſe recipiant.

S. Carol. hoc tit. cap. 5. Quamobrem præcipimus, excommunicationis etiam propoſita pœna, atque vnciarum decem, alijſque Epiſcopi arbitratu, omnibus & ſingulis Clericis, ad quos Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticorum locorum aliquo modo cura pertineat, vt ſi ab aliquo exule damnato, criminoſoue, qui in loco libero ſit, rogentur, vt illum in eorum Eccleſijs, vel domibus recipiant, ne aſsẽtiantur, antequam Epiſcopum, aut Vicarium conſulant, facturi quicquid ille tali in re cenſuerit.

Quod ſi fortè Clericis non præmonitis, eiuſmodi homines in ea loca ſe inſinuauerint, ijdem Clerici ſub eadem pœna Epiſcopum quàm primum certiorem faciant, vt quidquid ab eo tali in re decretum fuerit, ſeruent.

131. Et quoniam ſæpe accidit, ſontes homines, qui ad Eccleſiam, ſacraue loca immunitatis iure munita perfugiunt, à ſatellitibus Magiſtratuum, Iudicumque Sæcularium cuſtodiri ma-

gno

gno cum periculo Eccleſiaſticę immunitatis violandæ, grauiorumque interdum flagitiorum, turpiſſimorum facinorum admittendorum. Vt ijs ipſis malis, & offenſionibus, quæ inde oriuntur, occurratur, curet Vicarius ob eam ſolum cauſam, vt ab Epiſcopo cognoſcatur, an qui tunc ad Eccleſiam perfugium habuerit, iure vti poſſit Eccleſiaſticæ immunitatis, per ſatellites Epiſcopalis Curiæ ad carcerem inde abduci, tamdiuque Epiſcopali nomine cuſtodiri, quoad re perpenſa ipſę Epiſcopus deliberet.

Qui ſi immunitate Eccleſiaſtica illum frui cenſuerit, ab omni detrimento liberum loco reſtitui mandabit, vnde abductus eſt, ſin minus, foro, iudicioque ſæcularis magiſtratus, prout iuris erit, illum relinqui iubebit.

132. Fori ſæcularis Iudices, ac magiſtratus, religioſos viros, Sacerdotes, ac cuiuſuis ordinis Clericos, ac ad Eccleſiaſticum forum pertinentes perſonas, niſi in caſibus à iure permiſſis, nullo pacto capere, in vincula conijcere, aut detinere audeant, aut proceſſus aduerſus ipſos conficere; quod ſi auſi fuerint, tam ipſi quàm conſilium dantes, excitantes, ac fauorem ea in re præſtantes, excommunicationis pœnam ſe nouerint incurriſſe.

Bulla Cœnæ Domini c. 19.

c. ſi vero de ſentēt. excomm.

Porrò

133. Porrò laicorum cauſas tam ciuiles, quàm criminales in Eccleſijs agitari, aut definiri, ſub Interdicti pœna vetamus.

134. *Bul. Cœn. 9. Collectas.* Excommunicationis etiam latæ ſententiæ pœnæ ſubijcimus publicanos, qui à Clericis per ſummam iniuriam datia & gabellas exigere directè, vel indirectè auſi fuerint, quos abſolui à cenſura non poſſe declaramus donec plene ſatisfecerint. ſi quis autem exegiſſe conuictus fuerit, vnciarum decem pœnam incurrat prima vice; grauioribus deinde puniendus ſi in idem relabatur, pœnis.

135. *C. ſignificaſti ext. de for. cōp.* Cum vero nec vllus Clericorum Eccleſiaſtico foro vel libens renunciare poſſit, ſub vnciarum viginti pœna præcipimus, ne quis Clericorum Iudicibus ſęcularis fori agi ſuas cauſas patiatur.

Vnciarum etiam decem pœnam, & excōmunicationis in ſubſidium, incurrant qui ob immunitatem, qua Clerici legitime iuxta ſacros Canones fruuntur, ipſis res carius vendunt, quàm ceteris, aut quantitatem, ac numerum rerum, quas *c. eos de immuni. Eccleſ. lib. 6.* Clerici emendas curant, vt ipſorum neceſſitas poſtulat, auare definiunt. aut qui Clericis carnes, triticum, oleum, ceteraque ad victum, & veſtitum neceſſaria, quæ publice laicis venduntur, vendere recuſauerint.

136. Ijs etiam anathema dicimus, qui bona, aut iura

Eccle-

Eccleſiarum vſurpare, deſtruere, aut diſſipare auſi fuerint, nec à cenſura abſolui poſſe declaramus, niſi facta iurium, ac bonorum in integrum reſtitutione. Sub eadem etiam pœna præcipimus, vt infra quindecim dierum ſpatium, Nobis, aut Vicario noſtro eorum nomina deferant, quos Eccleſiarum iura, aut bona vſurpaſſe, diſſipaſſe, aut quomodolibet læſiſſe contigerit.

137. Decimæ, primitię, ceterique prouentus, qui beneficiarijs, atq; Canonicis iure debentur abſq; vlla diminutione ſoluantur. quod ſi quis primitias aut decimas ſoluere recuſauerit, in Paſchate à communione repellatur, quippe qui Eccleſiæ præcepto non obtemperat.

138. Decernimus etiã vt ne prædiorũ, bonorumue ad Dignitates, Canonicatuſue pertinentium locatio tàm Collegiatarum, quàm Cathedralis Eccleſiæ fiat perſonis ad idem Capitulum pertinentibus, alioqui contractus omnes irriti, ac nulli ſint, & tàm conductores, quàm locatores Canonici, ſeu Beneficiati Epiſcopi arbitratu plectantur. Id quod etiam ſtatuimus de eorum propinquis, & conſanguineis, qui ſecundo, vel arctiori gradu iunguntur, niſi (quod ad hos attinet) Epiſcopus cognita Eccleſiæ vtilitate, id ſcripto conceſſerit.

139. Cum accidat pleraque ſtabilia bona redditibus

iuxta

iuxta formã Apoſtolicarum Bullarum per obligationem obnoxia oneroſo, vel lucratiuo titulo in Eccleſiaſticas perſonas transferri, & multoties ad hoc vt Regis Alphonſi g. m. ſanctioni huiuſmodi redditus priuilegio proſequenti, non obnoxiæ, per exequutionem nõ moleſtentur, atque ita fieri, vt id generis bona alienantes, eorum fructibus, & obuentionibus pacificè in præiudicium creditorum, per ſummam iniuriam fruantur: id quod ob falſa in his frequenter inita iuramenta, in animarum, ac Reipublicæ detrimentum tendere conſiderantes, cum creditores ſua actione, ac debito priuentur, Mandamus, atque decernimus, vt ſi bona huiuſmodi redditibus affecta, atque obnoxia penes Eccleſiaſticas perſonas quouis modo peruenerint, cõtra illa exequutiuo modo procedi poſſit, ex præſcripto pragmaticæ ſãctionis à Rege Alphonſo promulgatæ: ita tamen vt Eccleſiaſticis nec perſonaliter, nec in proprijs bonis quibuſcunque moleſtia exhiberi poſſit.

140\. Miniſtris noſtræ Epiſcopalis Curiæ nemo dum ſua munia exercent, aliaque muneri ipſorum annexa, reſiſtat, aut vim quouis modo inferat ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, alijſque noſtro arbitratu, carceris videlicet, aut exilij, aut triremium, iuxta criminis, reique cõditiones.

PARS

PARS QVARTA.

DE VICARIIS, ET IVDICIBVS Eccleſiaſticis.

Cap. I.

1\. VICARIOS foraneos ab omnibus Sacerdotibus, & cuiuſuis conditionis Clericis honorificè tractari mandamus: ij etenim ſuper gregem eis commiſſum inuigilare debent, vt non ſolum peccata vitentur, verum etiam mores ſancti introducantur; de moribus Parochorum, eorumque reſidentia, ceterorumque Sacerdotum, & Clericorum vita Epiſcopum certiorem faciant; tertio quoque menſe proprias Eccleſias viſitent, ne diuino cultui aliquid deficiat, præcipuè verò in præſenti Synodo definita obſeruari procurent.

2. Statuta die Confeſſarios, ceteroſque Sacerdotes in maiori Eccleſia congregent ad conſcientiæ caſus diſcutiendos. Clericos in officio contineant, eoſq; ad miniſtrandum Sacerdotibus diuina peragentibus nō ſolum hortentur, ſed renuentes cogant. quod ſi quis minus paruerit, pœnam vnius aurei incurrat, idque Epiſcopo etiam ſignificetur, qui inobedientes ab emolumentis earum Eccleſiarum, quibus ſunt addicti, omnino priuabit, aut aliter in eos animaduertet.

Sacerdotes etiam, qui ratione beneficij in Parochialibus celebrare tenentur, ſolemnioribus diebus in illis interuenire compellant, vt Parocho ad diuina peragenda ſint auxilio.

3. Teſtatorum voluntates adimplendas curent vehementer, idque ſi negligere exequutores compererint, Epiſcopo ſignificent. Eccleſiaſtica bona cōſeruari curent. nihil denique cum Eccleſiæ damno, aut præiudicio fieri patiantur.

4. Miſſarum celebrationes ordine ac tempore populo exhiberi ſatagant, ne mulieres in qualibet Eccleſia deſeruiant, excommunicationis pœna propoſita inhibeant.

5. Parocho in extremis agente, ne libri ad eius officium ſpectantes deperdantur præcaueant, illoſque cum repertorio penes ſe accipiant, nouo Curato conſignandos.

Sacras

6. Sacras proceſſiones, quas vltra quingentos paſſus extra Ciuitates, & Oppida fieri ſub excõmunicationis pœna ne permittant, religiosè, modeſtè, & ſine tumultu ſtatis temporibus fieri diligenter curent, mares à fœminis ſeparatim incedere decernant, ad quas non ſolum Clericos, & Regulares, ſed etiam Laicorum Cõfraternitates accedere debent, Confratres verò ſacco induti, & cooperta facie incedant. Vicarij intereſſe renuentes opportunis remedijs compellant.

In omnibus proceſſionibus aliquas reliquias deferri fas eſt, præterquàm in proceſſione Sanctiſſimi Corporis Christi, in qua nulla erit deferenda.

In proceſſione vero Sancti Marci, Vicarius, aut is ad quem de conſuetudine ſpectabit, indutus pluuiali, reliquias manibus deferet, cum quibus poſtquam Litaniarum recitationem, ac Miſſæ ſolemnis in Eccleſia, ad quam ſecundum loci conſuetudinem proceſſio dirigetur, celebrationem, benedicat agros, aqua benedicta aſpergens, ac eas recitans orationes, quas in ſimilibus Sacerdotale decernit.

Nouas proceſſiones, præterquam in Eccleſia ſine Epiſcopi facultate ſcripto comprobata, non permittant, ſub pœna perſonis ſingularibus excommunicationis latæ ſententiæ, atque interdicti

Eccleſiarum, ſacellorum, & congregationum ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda.

7\. Picturas, & ſculpturas venales exponi non permittant, niſi ab eis recognoſcantur.

Eleemoſynarum quæſtores, niſi facultatem ſtipis quærendæ ab Epiſcopo, vel eius Vicario in ſcriptis impetrata oſtenderint, non admittant; exteros vero etiam cum facultate generali ad Monaſteria Monialium accedere ne ſinant: quos autem ad quærendam ſtipem admiſerint, noua, aut inaudita dicere, vel polliceri, nec aliquid ſuperſtitioſum fingere ne permittant: omnes autem quæſtores, Imagines Beatæ Mariæ, ac Sanctorum deferre prohibeant. tranſgreſſores tanquam eleemoſynarum fraudatores ad nos tranſmittant.

8\. Caueant ne in hoſpitijs inhoneſtæ fœminæ commorentur. ij vero, qui hoſpitiorum curam habent, ſi ſuis tectis, ſedibuſque ſine Vicarij facultate fœminas receperint; pœna vnciarum quatuor mulctentur.

9\. Cumque nimis durum, oneroſumque cuique ſit, præcipuè verò pauperibus, ſi pro ſingulis negotijs ad Curiam noſtram venire teneantur, decernimus vt Clericorum cauſæ pecuniariæ, niſi quindecim aureorum ſummam excedant, ſummarie ſine ſtrepitu, ac figura iudicij à locorum

Vicarijs

Vicarijs dijudicentur, ac finiantur; maximè cū de decimarum, primitiarum, ac fructuum beneficiorum, & his ſimilium exactione agetur. Iudex qui ſecus faxit, ſuſpenſionem ab officio per menſem incurrat.

10. In criminalibus cauſis Vicarij informationes recipiant, reos carceribus detineri mandent, mulieres autem in domibus, niſi exceſſus grauitas aliter ſuadeat; citatos vero, & contumaces excommunicationi ſubijciant; in carcerem coniectos non niſi ad effectum ſe præſentandi coram nobis infra menſem, ſub fideiuſſione ſecundum delicti, & perſonæ qualitatem præſtanda, emittant: pauperiores autem cum iniunctione.

Informationes quaſcunque in fine cuiuslibet menſis ad Nos mittere teneantur, vna cum fide Magiſtri Notarij, quòd aliæ apud ſe non remaneant, ſub pœna priuationis officiorum.

11. Si de ſimplici concubinatu agatur prima vice, contra quos captæ fuerint informationes, eos ſub fideiuſſione de ſe præſentando ad omne Curiæ mandatum abire permittant: interim informationes ad Nos tranſmittant, vt ſeruatis ſeruandis, illos condemnare, aut liberare valeamus; reos nihilominus illico ſub grauioribus pœnis ne inuicem conuerſentur iniungant,

iniunctiones autem poſtquam in libro hiſce rebus deſtinato deſcriptæ fuerint, earum exempla exſcripta ad Nos mittant.

12. Solertem curam circa Sacerdotum, Clericorumque exceſſus habeant. quod ſi publici fuerint, informationes recipiant; ſi occulti, vt ſine ſcandalo prouideatur, Epiſcopus ſecreto conſulatur.

13. Si cui vero ex Clericis in foro ſæculari de iure ciuili aut criminali, cum proteſtatione canonica agere contigerit, ad vitanda quæ oriri poſſunt ſcandala, per procuratorem potius, quàm per ſeipſum agat, litemque proſequatur. In iudicio autem ſpirituali noſtro, vt perditorum, atque iniquorum hominum calumnijs occurramus, cōſtituimus, vt tam actor, quàm reus antequam lis conteſtetur, abſtinendi à calumnijs iuramentum præſtent, iuxta Canonum ſanctiones.

14. Atquì vt ne lites longius pertrahantur, bis in hebdomada, ſecunda ſcilicet & quinta feria, vel proxima non impedita, iudicia ſeu cauſæ fiſcales habeantur per locorum Vicarios, qui niſi ad hāc ſeruandam conſtitutionem diligentes fuerint, ab officio arbitratu noſtro ſuſpendentur.

15. Conſultorem præterea nullus Vicariorum in Diœceſi ſibi ſuo arbitratu deligat. qui ſecus fazit, cameræ noſtræ decretis vncijs viginti mulctetur.

ſtetur. porrò à Nobis cōſtitutum Conſultorem amouere, aut mutare nullo modo poterunt Vicarij, niſi facta à Nobis poteſtate; nec ipſi ſine adhibito Conſultore cauſas videant, quamuis Licentiati, aut etiam Doctores ſint, niſi forte cauſæ ipſæ adeo leues ſint, vt Conſultore non egeant, alioquin vt nobis viſum fuerit, punientur.

16. Porrò indecorum ſatis videtur Clericos à Iudice ſæcularis fori interrogari, quod etiam canonicis ſanctionibus aduerſatur. ſub excommunicationis igitur pœna, alijſque arbitrio noſtro mandamus ne quis clericus teſtimonium dicere audeat, aut ſe interrogari patiatur. Præcipimus etiam ſub pœnis item arbitratu noſtro infligēdis, ne acta contra quemuis in Curia noſtra Epiſcopali ad Iudicem ſæcularem quoquo pacto, etiam ad defenſionis colorem, ſpeciemque tranſmittantur.

17. Magiſtros Notarios etiā ſpiritualis Curiæ in omnibus noſtræ Diœceſis locis conſtituere, ſicut & Scribas, & Commiſſarios, noſtrum erit. quare non audeant Vicarij iniuſſu noſtro aliquem ſubſtituere, niſi forte ad breue tempus ob abſentiam, aut valetudinem eorum, quos ipſi inſtituimus, ſub pœna noſtro arbitratu infligenda.

18. Curent magiſtri Notarij ne qua actorum ex-

ſcriptio vel collatio in publicum prodeat, niſi ipſorum manu ſubſcripta fuerit, ipſe vero ſcriba carceris pœnam incurret ſi forte iniuſſu magiſtri Notarij ſcripturam alicui tradiderit,quæ à Magiſtro Notario ſubſcripta non fuerit.

Acta vero originalia, ſeu proceſſus, quos ad Nos, ſeu magnam Epiſcopalem Curiam ex quibuſuis noſtræ Diœceſis locis tranſmitti contigerit, partibus ſiue earum Procuratoribus, aut Aduocatis ſub excommunicationis pœna nullo modo tradantur, aut demonſtrentur. quare caueant Magiſtri Notarij ne cui clauem arcæ, in qua huiuſmodi originalia acta ſeruantur, vllo pacto concredant, ſiue ſcriba ille fuerit, ſiue Commiſſarius. qui etiam ſub pœna pecuniaria arbitrio noſtro infligenda, ſollicitatoris, aut procuratoris officium ne vſurpet.

In recipiendis fideiuſſionibus tàm magiſter Notarius Curiæ Epiſcopalis, quàm ij, qui idem officium in Diœceſi exercent, ne in fideiuſſores eos, qui vltra domos, alia ſtabilia bona non poſſident, admittant.

19. Et quia nos cupientes in noſtra Curia mercedes officialibus debitas iuridicè ſolui, Pandectam nuper fieri iuſſimus cunctis miniſtris in quacunque actione mercedem ſoluendam conſtituentes, eam impoſterum obſeruari præcipimus,

mus, cuius exemplum in loco publico Curiæ apponi mandamus, vt ab omnibus ſumma quocunque caſu ſoluenda dignoſcatur.

20. Et quoniam omnes ſcripturas ad Curiam noſtram Epiſcopalem ſpectantes, confuſè, & negligenter ſeruatas fuiſſe reperimus, vt in futurū acta omnia, & ſcripta, qua decet diligentia conſeruentur, locum pro Archiuio certum deputauimus, ſcripturarumque omnium inuentarium fieri iuſſimus, quarum clauium alteram noſtro Vicario Generali, alteram vero Magiſtro Notario noſtro conſignari mandauimus. Præcipientes igitur vt impoſterum in eodem Archiuio quotānis acta, quæ in noſtra Epiſcopali Curia, & Diœceſi, vel in Viſitatione, aut alia quauis ratione fient, ordinatim inuentario de omnibus peracto componantur. Igitur tantummodo penes Magiſtrum Notarium liberè acta vnius anni permanere permittimus. Eas autem ſcripturas, quæ ad Epiſcopalem menſam quouis modo ſpectabunt, in arca diſtincta tribus clauibus, vna videlicet penes Vicarium, ceteris verò penes Priorem, & Depoſitarium Capituli conſeruandis, obſeratas reponi præcipimus.

Scripturarum archetypos, quos ſcripturas originales vocant, extra Archiuium etiam ad exempla exſcribenda transferri nullo modo liceat.

ceat. exempla igitur in eodem Archiuio conficiantur; extrahentes excõmunicationis ſententiam ipſo facto incurrant. quam pœnam etiam imponimus ijs, qui acta prædicta violare, ſubripere, occupare, aut dilacerare præſumpſerint.

21. Atq; vt quocunque tempore ſcripturæ in dicto Archiuio inuiolatè conſeruentur, & diligentiſſimè cuſtodiantur, præcipuè verò Sede Epiſcopali vacante, mandamus, cum primum Eccleſia vacauerit, clauium Archiuij vnà cum inuentario, alteram Vicario Capitulari, alteram verò Priori eiuſdem Capituli. ſi autem is Vicarius fuerit, Cantòri conſignari debere, qui de ſcripturis in inuentario adnotatis futuro Epiſcopo rationem reddere teneantur.

Magiſtrum Notarium in fine officij, acta ab ſe confecta, nouo Magiſtro Notario cum inuentario conſignare debere mandamus.

Idem Magiſter Notarius, ceterique in Diœceſi conſtituti, librum diſtinctum habeant, in quo in diem notentur legata pia, quæ à defunctis relinquuntur. Notarij infra menſem à die mortis teſtatoris, illis nota facere, ſub pœna vnciarum decem teneantur.

22. Atque vt informationum, proceſſuum, ac ſcripturarum, quæ à Vicarijs foraneis, vel delegatis tranſmittuntur, certa ratio habeatur, Ma-

giſter

giſter Notarius Iulianam ſeparatam illarum habeat, in qua conſignationes notentur, vt facilè eas tranſmiſſas eſſe, partes intelligant.

23. Demum cum experimento compertum ſit, multoties Conſultores noſtros à partibus recuſari vti ſuſpectos, non quod reuera ita ſit, ſed vt callide protrahantur lites, ſtatuimus vt in recuſationibus quod per pragmaticas huius Regni ſtatutum eſt obſeruetur.

DE ADMINISTRATIONE *piorum locorum.*

Cap. II.

QVoniam piorum locorum curam Epiſcopis Sacrum Concilium Tridentinum maximè commendauit, hæc etiam ad ipſorum fidelem, diligentemque adminiſtrationem pertinentia conſtituimus, atque mãdamus. *Trid. ſeſſ. 22. de ref. c. 8.*

24. Adminiſtratores piorum locorum, hoſpitalium, Montis pietatis, Confraternitatum, quæque alio quocunque nomine cenſentur, ſiue Eccleſiaſtici ſint, ſiue Laici, qui nunc ſunt, intra tres menſes; qui deinceps eligentur, antequam adminiſtrationem ſuſcipiant, iurent ſe fideliter, & accuratè munus ſuum exequuturos.

Fructibus, qui pauperibus diſtribuendi ſunt,

veris pauperibus tantum diſtribuant, quemadmodum eius voluntas, à quo bona illa profecta ſunt, poſtulauerit.

Qua in re ne fraus vlla poſſit irrepere, aliquam inibimus rationem, qua nobis conſtare poſſit, in quas pſonas fructus illi erogati fuerint.

Quos verò vel fructus iniquè diſtribuendo, vel in ſuum, ſuorumue commodum vertendo, vel ſuperuacaneis, inutilibuſque ſumptibus faciendis, malè in adminiſtratione ſe gerere compertum fuerit, ij pro ratione culpæ punientur, & ad reſtitutionem legitimè compellentur, atque ab officio remouebuntur.

25. Trid. ſeſſ. 22. c. 11. Caueant ij, qui bona piorum locorum adminiſtrant ne, ſi immobilia ſint, aut pretioſa mobilia, vendant permutent, aut in emphyteuſim dent, aut quouis modo alienent, niſi ijs ſeruatis, quæ à ſacris Canonibus requiruntur, idque accedente conſenſu, atque auctoritate noſtra. qui ſecus fecerit, præterquam quod acta irrita, & nulla futura declaramus, ſeuerè etiam punietur.

Bona ſi quæ locanda ſunt, ea adminiſtratorum arbitrio ne locentur, ſed publicè locanda ad extinctionem candelæ proponantur, atque omnibus libera conducendi poteſtas fiat. Eccleſiarum autem piorumque locorum adminiſtratoribus illorum bona locari directè vel indirectè, ſub ex-

com-

communicationis latæ ſententiæ pœna prohibemus.

Locatores, conductoreſque idoneum fideiuſſorem præſtent, cum quo iure agi poſſit, atque cum ipſo principali, ſecus conductio, & locatio nulla ſit, atque irrita.

26. In Eccleſijs, pijſque locis, quorum redditus, & prouentus quicunque ſummam quadraginta ducatorum excedunt, Theſaurarius omnino eligatur, penes quem prouentus perueniant; debitores aliter ſoluentes abſoluti nõ intelligantur. expenſiones non niſi de Rectorum ſeu adminiſtratorum prædictorum mandato in ſcriptis fieri poſſint.

27. In mandatis veras expenſionum cauſas exprimi præcipimus, non autem ſimulatas, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna. Mandata autem quæ ad vnciam vnam, maioremue pecuniæ ſummam ſoluendam deſcripta ſunt, ijs ipſis, quibus pecuniæ debentur, nulli tamen alteri expediantur.

28. Capitalia cenſuũ quorumcunque, aliorumue bonorum penes Theſaurarium depoſita habeantur, nec niſi ad effectum nouos redditus emendi cum interuentu Vicarij Generalis in Vrbe, in Diœceſi verò foranei, expendantur. Theſaurarius contrauenienſ de proprio teneatur.

29. Pecunias penes Theſaurarium depoſitas nullo modo dari mutuas, etiam aureo accepto pignore liceat: neque etiam apochæ, & chirographa ſolutionum perſcribantur, niſi reipſa omnino pecunia debita perſoluta ſit, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

30. Magnas expenſas, nempe profaciendis Sanctorum imaginibus, fabricis, & ſimilibus, Adminiſtratores inconſulto Epiſcopo ne faciant. debitoribus dilationes ne cōcedant, nec cum eis tranſigere, aut aliter ſeſe componere, bona obligata eximere, & liberare, nec liti initium dare præſumant ſine Epiſcopi facultate. actus aliter facti eo ipſo ſint nulli. contrauenientes vero grauiter Epiſcopi arbitrio puniantur.

31. Noui adminiſtratores intra dies octo rationes accepti & expenſi præteritorum Rectorum, & Theſaurarij exigant: ſi quid reliquum fuerit, quod exactionem deſiderat, illico ab ijs ipſis exigatur. liberationem autem ne faciant antequam à Nobis in Viſitatione omnia examinentur.

Trid. ſeſſ. 22. de ref. c. 9.

32. Cumque experimento compertum ſit, multa Eccleſiaſtica bona ob adminiſtratorū incuriam fuiſſe deperdita, ne id iam nunc eueniat, Præcipimus impoſterum capitalia omnia reddituum Eccleſiarum, piorumque locorum, in quibus obprouentuum tenuitatem Theſaurarius conſtitui

nequit,

nequit, necnon & omnium Legatorum pro nubendis puellis, particularibus perſonis commendatorum, ac etiam quorumcunque beneficiorũ, piorumque legatorum, & perpetuarum eleemoſynarum pro Miſſis celebrandis, ac pro alia quacunque pia cauſa relictorum cum retrouendi cõtigerit penes generales piorum operum Depoſitarios à Nobis in tota Diœceſi reſpectiuè deputatos, vel deputandos, depoſiti loco habenda eſſe, atque ab ipſorum manibus non niſi pro noua reddituum emptione tolli poſſe, cum interuentu Vicarij Generalis in Vrbe, in Diœceſi vero Vicarij foranei facienda. retrouenditiones aliter factæ nullius ſint roboris.

33. Rectores, Adminiſtratores, & quocunque alio nomine nuncupentur exequutores legatorũ pro puellis maritandis relictorum, curent omnimodo pias teſtãtium voluntates ad vnguem implere, neque in aliquo violare, pauperes orphanas, & verè conſanguineas prout diſpoſitum fuerit, eligant, electiones ſtatis temporibus, & non antea actu publico conficiant: electæ redditus anni ad illam ſpectantes vel ſoluant, vel ſi ita ordinatum fuerit, cedant. Cumque conſanguineæ erit electio facienda, per menſem antea publicũ proponatur edictum, vt omnibus ius habẽtibus, eoque aſpirantibus innoteſcat, & quæ conditiones

nes requiſitas habere dignoſcetur, puta ſtrictiorem gradum cognationis, conſanguinitatis, affinitatiſue, ea admittatur. teſtes ad conſanguinitatem ſeu affinitatem probandam in Curia ſpirituali coram Vicario omnino recipiantur. Libros etiam teneant, in quibus ſolutiones, ceſſiones nuptis puellis factæ regiſtrentur. qui in aliquo contrauenerint præter pœnas arbitrio Epiſcopi ſoluendas ab adminiſtratione remoueantur.

Et ne bona pro effectu prædicto relicta in aliũ conuertantur, Theſaurarij, vel Depoſitarij penes quos contigerit vt ea perueniant, diſtinctè ab alijs Eccleſiæ, lociue pij prouentibus conſeruabunt, non ad aliud, niſi pro prædictis legatis adimplendis ſoluenda, aliàs de proprio teneantur.

34. Quia vero nonnulli prætextu faciliorem reddendi legatorum prædictorum cõſequutionem, pauperes certis pactis opprimunt, ab eis partem (& maiorem fortaſſe) legatorum extorquentes, multoties etiam magis propinquas cõſanguineas remotioribus humano fauore poſtponi curantes, in eos, qui impoſterum talia inire pacta præſumpſerint, aut quouis modo ſub exactionis prætextu legatorum participes erunt, excommunicationis ſententiam ferimus, quam eo ipſo incurriſſe declaramus.

35. Cupientes tandem indemnitati omnium Eccleſia-

eleſiaſticorum bonorum conſulere, ne tractu temporis facilè deperdantur, omnibus beneficia ſeu legata pia poſſidentibus, necnon quibuſuis Eccleſiarum, piorumque locorum Rectoribus diſtrictè præcipimus, vt intra ſex menſes à die publicationis præſentis, recognitorios actus cenſuum ad ſe ſpectantium conficiendos, necnon confinia ſtabilium bonorum ſubiugatorum renouanda curent, quod deinceps quolibet decennio adimplere teneantur. Quod igitur expenſum erit a beneficialibus deducatur ab oneribus ad eos pertinentibus. Quod vero ſpectat ad Rectores Eccleſiarum, piorumque locorum, ijſdem pijs locis feratur expenſum. ij, qui non paruerint, ſi beneficiales vel legatarij fuerint, prouentibus anni vnius priuentur. Singuli vero Rectores vnciarum quatuor pœna mulctentur.

36. Quæſtores piorum operum, quos in nõnullis Diœceſis locis conſtitui conſuetum eſt, homines honeſtæ vitæ, ſpectatæque religionis, ac virtutis eligendos eſſe decernimus, qui vel gratis, vel certa ſtatuta mercede id munus præſtent. Nullo igitur modo eleemoſynarum ſint participes, quotannis eligantur, & non niſi facultate ab Epiſcopo, eiuſue Vicario Generali in ſcriptis obtenta gratis concedenda, & præſtito

prius

prius iuramento de fideliter pecuniarum, tritici, aliarumque rerum ſumma Theſaurario conſignanda, ad quærendam ſtipem admittantur. furantes, occupantes, aut fraudantes huiuſmodi eleemoſynas, ipſo facto excōmunicationis ſententiam incurrant.

DE SODALITATIBVS. Cap. III.

37. Clem. 8. cōſt. quæcunque 1604. SOdalitates, quas impoſterum de nouo erigi ſine Summi Pontificis, aut noſtra literis explicata facultate, vetamus, peculiare aliquod inſtitutum habere debent, vt maior in Ciuitate fructus & copioſior ſit, & pietatis opera per certos homines melius exequutioni mandentur.

38. Officiales ſtatis temporibus ex ſodalitij lege & conſuetudine per ſecreta ſuffragia eligantur, eo Sacerdote præſente, quem nos huiuſmodi electionibus intereſſe mandabimus. nunquam vero confirmentur, ſed ſemper alij de nouo eligantur. quod ſi neceſſitas aliud poſtulauerit, ab Epiſcopo poteſtatem confirmandi obtineant.

Qui electi fuerint, tum Sodalitij diſciplinam tum bona etiam, & oratoria ipſa ſarcta tecta ſeruare ſtudeant, atque adminiſtrationis Nobis, vel ei, qui Nobis videbitur rationem reddent.

Atque

39. Atque is, qui in Officialem vnius ſodalitatis delectus fuerit, neque illius, nec alterius ſodalitij officialis eligi poſſit, niſi per annũ vacauerit.

Oneribus ſatisfaciant, ac legata ſoluant, caueantque ne ſuis potius, aut ſuorum commodis in ſodalitij pecunia adminiſtranda, quam communi bono proſpiciant, piorumque hominum à quibus ea legata relicta, piæ voluntates fruſtra habeantur. qui ſecus fecerit reſtitutioni ſe obnoxium ſciat, alijſque pœnis arbitrio noſtro infligendis ſubiaceat.

40. Regulares ad Sodalitatũ Eccleſijs, ſiue Oratorijs pro miſſarum celebratione inſeruiendum, abſque Epiſcopi facultate ne recipiant. contrauenientes pœna vnciarum decem mulctentur.

Statuta de nouo condere, ſine Summi Pontificis, aut noſtra facultate non poſſint.

Delectus habeatur eorum, qui in ſodalitatem recipi volunt, vt ij tantum ſeligantur, quos in vita ſpirituali, & Chriſtiana pietate profecturos ſpes eſſet. facinoroſi autem, & infamia notati, niſi per aliquod tempus ſuæ conuerſationis ſpecimen præbuerint, omnino reijciantur.

Amictus cuipiam ne detur, niſi in Oratorio, & præſente Cappellano, à quo benedicatur, quem deinde domi habere nemo poſſit, ſed omnes in communi Oratorio aſſeruentur.

Statu-

Statutis temporibus ſecundum pium Sodalitiorum inſtitutum, omnes in Oratorijs ſuis communicent. in Paſchate vero omnino in Parochiali Eccleſia aut Sacramentali ſanctiſſimum Chriſti Corpus ſumere teneantur.

41. Libros quibus contractus, & ſcripturæ ad Eccleſias pertinentes regiſtrantur, conficiant. inuentarium quoque rerum mobilium in Viſitatione præſentandum promptum habeant.

42. Cõuiuia occaſione feſtorum in Eccleſijs, ſeu Oratorijs, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, nequaquam inſtituant.

S. Carol. hoc tit. c. 6.

43. Et quia reipſa compertum eſt, Eccleſiaſticos redditus in explodendis maſculis, & archibuſijs vulgo dictis, necnon in ſulphureis machinis conficiendis conſumi, deficientibus interea rebus ad diuinum cultum, miſſæque ſacrificium neceſſarijs, præcipimus ne impoſterum abſque ſpeciali Epiſcopi poteſtate ſcriptis obtẽta id facere præſumant. qui non paruerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, & Eccleſiæ pro quibus ea omnia fient, interdictæ ipſo facto intelligantur.

DE SEMINARIO CLERICORVM.
Cap. IIII.

CLericorum Seminarium, iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta iam conſtitutum,

&

& de nouo à fundamentis erectum, firmari, ac in dies augeri, eiuſque alumnos optimis moribus inſtrui, etiam atque etiam in Domino optamus, vt vberem fructum tempore ſuo Eccleſia noſtra (idoneos videlicet animarum curatores) colligere poſſit. quamobrem vt rectè & ordinatè res quam tāti Sacrum Concilium Tridentinum, facit, adminiſtretur, huiuſmodi conſtitutiones omnino obſeruari mandamus.

44. Primo quidem viri duo prudentia, & pietate graues Seminarij curæ deputentur; quorum alter, ſecundum Concilij Tridentini decretum, erit ex Canonicis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, alter ex reliquo Clero. quorum erit tam quæ ad temporalia Seminarij bona, quàm quæ ad puerorum, tum in ſpiritu, tum in literis profectum pertinent curare, inquirereque de Magiſtrorum diligentia, de cuiuſque progreſſibus, præſertim in ſtudijs Grammaticæ, computi Eccleſiaſtici, Sacramentorum adminiſtrandorum, rituum, ac cæremoniarum ac Cathechiſmi Romani, deque omnibus Epiſcopum certiorem reddere.

45. In hoc Seminarium bonæ ſpei adoleſcentes, pauperes, ex legitimo matrimonio nati, ætatis annorum ſaltem duodecim, non infirma valetudine, quique ſcribere, ac rudimenta Grāmaticæ Trid.ſeſſ. 23.c.18.

calleant, excipiantur. Ditiores autem ſi ſuis ſumptibus ali velint, non excludantur.

46. Initio ſui in Seminarium ingreſſus ſinguli generalem peccatorum ſuorum confeſſionem faciant, Sacramque Euchariſtiam ſumant, ſingulis deinde menſibus, bis, terue Sacramenta Pœnitentiæ, atque Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumma cum animi deuotione obeant, ijſque Confeſſarijs vtantur, quos Epiſcopus deputauerit. Sacram autem Euchariſtiam in Cathedrali ſumant.

In quam etiam conuenient Dominicis, feſtiſque diebus, Miſſæque Sacrificium facientibus miniſtraturi. Reliquis vero diebus in Seminarij ſacello, vel apud Patres Societatis Ieſu Miſſæ omnes interſint, concionem ex Rectoris Seminarij diſpoſitione audiant.

47. Studijs literarum operam dent apud Patres Societatis Ieſu, eoſque præceptores audient, qui illis à Collegij Rectore aſſignati fuerint.

Diſcoli, & mores retinentes inſanabiles, quos vocant incorrigibiles, poſtquam pœnas ſuorum errorum dederint, expellantur.

48. Mane ſtatim atque lecto ſurrexerint, per quadrans horæ ſpatium Orationi vacent, veſpere conſcientiam examinent.

Omnes

Omnes reficiendi corporis cauſa in refectorium conueniant, atque inter comedendũ, quod temperatè, & cum modeſtia fieri debet, aliquis è ſuperiore loco pium aliquem librum clara voce legat ex Rectoris præſcripto, vt dum corpus reficitur animus item reficiatur, nec vnquam vel benedictio menſæ, vel gratiarum actio, vt habetur in Breuiario, omittatur.

49. Singuli ſingulis lectis cubent, menſasque habeant, vbi ſtudeant, nec alter ad alterius menſam accedere, ſiue libros, ſeu quoduis aliud petendi cauſa, audeat ſine Præfecti facultate.

E Seminario egredi tantummodo cum Præfecto omnibus coniunctim, non autem ſeparatim concedimus, niſi ex vrgenti cauſa, extra illud verò nemini pernoctare permittatur, niſi aliter Epiſcopo ob grauem aliquam cauſam videatur.

50. Caueant omnes à iuramentis, contumelijs, mendacijs, ludiſque illicitis, ab omni denique re, quæ ſpeciem diſſolutionis, aut leuitatis præſeferat.

Rectori Seminarij, Magiſtris, cubiculique Præfecto obedientes ſeſe exhibeant.

Ad literarum ſtudia ſedulo animum applicēt pura, ac ſimplici intentione Deo ſeruiendi.

N 2 propte-

propterea à Beata Virgine, Sanctiſque, præcipue ab Angelo, quem quiſque cuſtodem habet, Sanctiſque Martino, & Euplio ſæpè opem auxiliumque flagitent.

Silentium ſeruent in ſcholis, Refectorio, atque in cubiculis, præſertim Orationis, & ſtudiorum tempore.

Dato ſigno ad cubandum, vel ad ſurgendum prompti ſint omnes. à prandio, & à cœna per horam à ſtudijs vacent, eoque tempore cantui, quem firmum appellant, operam dabunt.

51. Demum vt in omnibus tales ſeſe præſeferant, quales decet eos, qui diuino miniſterio ſunt adſcribendi, peculiares conſtitutiones, quas, vt facilius & intelligantur, & exequutioni demãdentur, materna lingua componi iuſſimus, ad lineam ſub pœnis in eis reſpectiuè appoſitis obſeruari præcipimus.

52. Vtque bona Seminario applicata integra in futurum ſeruentur, Archiuium in eo cõfici mãdamus, in quo ſcripturas prouentuum, beneficiorumque, quæ ei contribuere tenentur, diligentia à Deputatis ad id neceſſaria adhibita, cõſeruari, eiuſque quatuor claues penes Deputatos ipſos detineri decernimus.

Et ne beneficiorum, eorumque bonorum, quæ Seminario ſunt obnoxia, progreſſu tẽporis memo-

memoria deperdatur, priuilegia omnia beneficiorum prædictorum impoſterum expediri prohibemus, niſi a Seminarij deputatis antea videãtur. Deputati verò in priuilegijs ipſis, redditus, bona, eorumque confinia diſtinctè apponi, & antè viſionis ſignum in eis apponendum, expeditionis notam diem, nomenque beneficialis continentem in libro ad id deputato regiſtrari curabunt.

53. Ex capitalibus reddituum ad Seminarium quomodocunque ſpectantium, cum retrouenditio contigerit, noui redditus non emantur, niſi cum interuentu eorum, qui deputati ſunt, in Vrbe: in Diœceſi vero Vicarij loci, quibus curæ erit vt nouarum emptionum in libro Seminarij infra menſem notatio deſcribatur.

54. Deputati ijdem decimo quoque anno cõfinia bonorum, beneficiorumque renouare, literis Epiſcopalis Curiæ, ad id gratis concedendis ſtudeant; ſingulis menſibus expenſas Seminarij examinent, & anno quolibet nouum mobilium inuentarium conficiant deperdita recuperare procurent.

55. Pecunias Seminario aſſignatas penes Depoſitariũ ad id deputatũ, mẽſibus Septẽbris, & Martij perſolui facere ad Vicarios foraneos attinet, negligentes poſt menſem de proprio teneantur.

DE MONIALIBVS.
Cap. V.

Trid. ſeſſ. 25. c. 1. INter ea, quæ quanta maxima poteſt diligentia curare debet Epiſcopus, Sacrarum Virginum Monaſteria præcipua ſunt, cum flos illæ ſint Eccleſiaſtici germinis, atque illuſtrior portio gregis Chriſti. quamobrem, vt ea, qua par eſt animi & corporis integritate quæ Domini ſunt, cogitent, atque in nitorem veteris diſciplinæ, quæ collapſa non nihil videtur, reſtituantur, hæc ſeruanda decernimus. S. Cypr. l. de diſcip. & hab. virg.

56. Ac primum quidem vt interioris animæ receſſus ab hoc ſæculo clauſura exterior inditium ſit, ac ne moniales ſpectari, aut ſpectare poſſint, ad ianuam Monaſterij Moniales nunquam accedat iniuſſu Abbatiſſæ, vel fores exteriores apertæ ſint, vel mox aperiendæ.

57. Atque vt inutilium colloquiorum cum ſæcularibus tollatur occaſio, colloquutoriũ interius ſeris occluſum ſit, in quod nulla Monialium niſi de Præfectæ facultate accedat, ibique Auſcultatrices ſemper interſint, & aſſiſtant, quæ quid dicatur audire debeant. niſi fortè futurus ſermo ſecretum expoſtulet. quod tamen non niſi de Abbatiſſæ expreſſa poteſtate, & propinquioribus

tantum

tantum conſanguineis, hoc eſt, patribus, matribus, ſororibus, aut fratribus, nec niſi admodum raro cuiquam permittatur.

Porrò in feneſtris colloquutorijs binæ ferreæ crates adponantur, introrſus alteræ, alteræ extrorſus, ſaltem palmo inuicem diſtantes, ac ſpiſſæ, adeout per foramina nec puellæ quidem manus tranſmitti poſſit: atque in exteriori crate figantur claui ferrei eminentes, & acuti, itaut loquuturi facies illi nequeat adhærere, vel certè ferrea lamina foraminibus paruis perforata, quales in confeſſionalibus haberi ſolent.

58. Cumque ex continua Monialium colloqutione permaxima ſpiritus perturbatio oriatur, hominibus quibuſcunque, cuiuſque gradus, & conditionis exiſtant, Moniales, vel puellas in Monaſterijs commorantes alloqui prohibemus, niſi facultate à nobis, noſtroue Vicario Generali ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna. qua facultate Monialibus vti non liceat, niſi ab Abbatiſſa antea viſa & approbata ſit. Tantummodo per hoc decretum his qui primo, aut primo & ſecundo gradu conſanguinitatis coniuncti ſunt, vt ſine facultate colloqui quandoque poſſint, permittimus.

59. Ianuam Monaſterij, quam nunquam niſi quando id quod ingreditur, vel egreditur pro

Monaſterij neceſſitate, per Rotam intrare, vel exire nequit, aperiri volumus, neque monialis vlla, aut ſæcularis puella, ne ipſæ quidem Præfectæ quemquam, ne ipſum quidem Procuratorem alloquantur, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna. ad crates autem colloquutorias ne ipſa quidem Celleraria negotiorũ prætextu, quemquam alloqui niſi coram auſcultatrice, aut Abbatiſſa audeat.

S. Carol. hoc tit. c. 8. Ianua nullo modo ante Solis ortum, nec poſt illius occaſum aperiatur, noctu autem duabus clauibus occludatur, quarum interior penes Abbatiſſam, exterior verò penes Cappellanum cõſeruetur.

60\. In ipſis verò feneſtellis confeſſionalibus configantur etiam laminæ ferreæ perforatæ, & tela etiam obductæ, itaut nec ipſæ Moniales cerni, nec ſpectare quempiam poſſint. feneſtella vnde Sacram Euchariſtiam accipiunt, alta ſit integro palmo, lata dimidio, quæ binis foriculis, totidemque ſeris, & clauibus, alteris intrinſecus, alteris extrinſecus occludantur, nec vnquam aperiantur, niſi cum Sacra Euchariſtia miniſtranda erit. nullo tamen pacto permittimus, nec ipſi quidem Abbatiſſæ ſub excommunicationis pœna, vt ea ad colloquendum vtatur.

Omnes feneſtræ, vel foramina, quæ in clau-

ſtrorum

ſtrorum parietibus ſunt, vnde moniales foras ſpectare, aut ſpectari poſſint, omnino occludantur, permiſſis ſolis feneſtris aliquibus ad lumen excipiendum neceſſarijs, quæ tamen tales ſint, vt inde nullo pacto proſpicere, aut proſpici queant.

61. Monialibus æquè ac Conuerſis interdictum ſit in virtute Sanctæ Obedientiæ, cuiquam perſonæ etiam charitatis vel pietatis, aut eleemoſynæ nomine, dona, munera, pecuniam, aut aliud quidpiam etiam ex ijs rebus, quæ ſibi in vſum tribuuntur à Monaſterio, licet cōmeſtibilia ſint, vt panis, caſeus, ceteraque obſonia tribuere, donare, aut largiri: ſed ſi ex aliqua iuſta, & rationabili cauſa quidpiam dandum, vel tribuendum viſum fuerit, id à Præfecta Monaſterij è re communi fiat. Pręſertim autem cauendum eſt, ne qua prętextu eorum ſiue reddituum, ſiue aliarũ rerum, quę ſibi in vſum aſſignantur, dare, aut largiri pro ſua voluntate ſibi licere putet. Abbatiſſis vero ipſis & Rotarum Pręfectis ſub pœna priuationis officiorum id Monialibus permittere interdicimus.

62. Sanctimoniales cuiuſuis ordinis religioſę profeſſę ſint, intelligant ſi id fecerint, aut de rebus ſibi in vſum aſſignatis diſpoſuerint, mori & decedere proprietarias, & vt tales eſſe ſepeliendas,

das, pœniſque à Sacris Canonibus, regulis, ac ordinum, & monaſteriorum conſtitutionibus, atque alijs ordinationibus contra proprietarios editis, ac promulgatis, ſubiacere. Quamobrem contractus & inſtrumenta, in quibus Moniales emunt annuos redditus quoad ipſæ vixerint, vel etiam vt poſt ipſarum obitum alia ſuccedat, & ſimilia, ſciant nullius roboris eſſe, vel momenti, ſed irrita prorſus, atque inania; ac proinde ijs defunctis, cuncta omnino Monaſterio obuentura, cui ſunt huiuſmodi redditus acquiſiti.

Propterea cum aliqua decedere contigerit, curet Abbatiſſa ſub pœna depoſitionis, ne Monialis aliqua, cognationis, aut amicitiæ, aut alio quouis nomine, quidpiam de ſuppellectili demortuæ ſibi vſurpet. Si qua vero ſuæ profeſſionis immemor, id auſa fuerit, excommunicatione latæ ſentẽtiæ ipſo facto incurrat, à qua abſolui non poſſit, niſi facta Monaſterio reſtitutione.

63. Nulla Monialis, gallinas, columbas, catellos peculiares habeat, id enim perturbationis eſſe occaſionem experientia didicimus. in commune vero is numerus habeatur; qui ſatis Monaſterio futurus videbitur. ſi qua verò contumax fuerit ijs retinendis, in virtute obedientiæ præcipimus Abbatiſſæ vt nos quàmprimum certiores faciat.

Monia-

64. Moniales, nullius generis bellaria, edulia, eſculenta, ientacula, officulas, confectiones, vel alia ſimilia conficiant, aut coquant, vt illa venditent, donent, aut largiantur.

Neque etiam ex aliorum expenſis quoſuis cibos præparare; niſi pro primo gradu coniunctis infirmis.

Cõfeſſarijs verò, Aduocatis, Procuratoribus ab Abbatiſſis, ſiue Præfectis Monaſteriorum ſtatuatur æqua prouiſio, vel eleemoſyna, quæ ex ære communi Monaſterij perſoluatur. ijs autem viciſſitudo munerum quãtumuis exigui valoris, quæ ſibi cum Monialibus poſſit intercedere omnino interdicta ſit, ſub pœna perpetuæ ſuſpenſionis ab audiendis tam illarum, quàm quorumcunque confeſſionibus, in quam ipſo facto incurrant.

65. Demum cum tuta via, qua ad omnem perfectionis gradum peruenitur, ſit vita communis, nihilque proprij poſſidere, nec pecuniam tractare, ne eam quidem, quæ ad vſum cuiuſque conceditur, diſtrictè præcipimus, atque mandamus, vt in ijs Monaſterijs, quæ ſufficientes redditus habent, vt ſeruari perfectè Regula poſſit, ſi quæ Moniales huiuſmodi ſanctam & regularem viuendi rationem elegerint, & omnia bona, redditusque quouis modo ad vſum cõceſſa, vel reſer- *Trid. ſeſſ. 25. de reg. & mon. c. 2.*

uata

uata à ſe abdicauerint, & Monaſterio ceſſerint, Præfectæ Monaſteriorum renunciationē huiuſmodi recipere omnino teneantur, & ex Monaſterij bonis, redditibus, & introitibus in ijs, quæ ad victum & veſtitum, ac reliquam vitæ ſuſtentationem pertinent, illis præcipue prouidere, & ita opportune omnia ſubminiſtrare, vt nulla re indigere permittantur. ſiquis autem, vel ſiqua intra, vel extra Monaſterium talem pium viuendi vſum dicto, factoue, nutu, vel ſigno perturbare, reprehendere, aut quouis modo impedire, maligno ſpiritu inſtigãte præſumpſerit, excommunicationis ſententiam incurrat.

66. Interim vero in ijs Monaſterijs, in quibus perfectè vita communis ſeruari non poteſt, ob exiguos Monaſterij redditus, arca ſit duabus clauibus munita, quarum altera penes Abbatiſſam ſeruetur, altera penes ſeniorem ex Decanis, atque in ea reponantur tam eleemoſynę omnes peculiares ſingularum Monialium, quàm fructus reddituum quos vita durante nõnullæ obtinent; quos quidem per officiales Monaſterij tanquam illi acquiſitos exigi volumus: necnon & alias pecunias, quæ alio quouis titulo cuipiam obuenerint; atque illæ de Abbatiſſæ, aut Præfectæ facultate in earum Monialium vſum impẽdantur. ſi quæ verò pecunias alio modo accipiet, aut impendet,

pendet, actiuo & paſſiuo ſuffragio per triennium priuetur, ac trimeſtri itidem ad crates colloquutorias ne accedat.

67. Et quoniam valetudinis prætextu ſæpe accidit vt non parum detrimenti religioſa paupertas patiatur, ne qua impoſterum Monialibus occaſio præbeatur, aut rei cuipiam affectu proprietatis adhæreant, in quouis Monaſterio, ægrotantium cubiculum vnum, vel plures, prout neceſſitas exiget pro Noſodochio ſint, & vbi non fuerint, à Vicarijs extrui, vel aſſignari quàmprimum curetur, etiam, ſi ita opus videatur, ſub cenſuris, & pœnis. in eam autem recipi in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus omnes moniales, & Conuerſas, tam Profeſſas, quàm Nouitias ægrotas, quibus opus ſit medico.

Nec Medicus quamquam inuiſat, nec inuiſere permittatur à Præfecta Monaſterij, neque medicinas præſcribat extra Noſodochium, ſub pœna excommunicationis. Neque etiam Confeſſarij Monialium extra illam cuiuſuis audiant confeſſionem, ſub pœna ſuſpenſionis ab illarum, & aliorum quorumcunque confeſſionibus audiendis, in quam ipſo facto incurrant, niſi fortè talis repentè caſus obuenerit, in quo alibi fieri neceſſe fore cognouerint.

Aegro-

Aegrotantibus autem in Noſodochio decumbentibus ex ea pecunia, quæ in eam cauſam fortè aſſignabitur, ſuppeditentur omnes ſumptus pro victu, alimentis, lectulis, medicinis, ceteriſque rebus omnibus, quæ ad earum curandos morbos, & valetudinem confirmandam, erunt neceſſaria, vbi viget obſeruantia.

Præterea eligatur Monialis charitate & ſollicitudine præſtans, quæ cum omni ſtudio, ac pietate ægrotantium Sororum curam ſuſcipiat, hęc verò quò facilius, atque alacrius munus ſuũ exequi poſſit, tot ſibi auxiliatrices famulæ conſtituantur, quot huic muneri ſatis eſſe videbuntur.

Reliquis autem Monialibus, ſiue Sæcularibus Monaſterij alumnis expreſsè mandamus, ne cognationis, aut amicitiæ nomine, ægrotantium ſeruitio ſeſe immiſceant. Siqua verò inobediens in hac re fuerit, Abbatiſſæ præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne eam inuiſi à Medico patiatur, donec nos, aut noſtrum Generalem Vicarium certiores fecerit, in Vrbe; in reliqua Diœceſi Vicarium foraneum.

Porrò in eo ægrotantium cubiculo nulla decumbet, niſi febri, vel alio morbo laboret, quem ibi curare oporteat de conſilio Medici, qui ad reſtitutionem impenſarum in foro conſcientiæ

tenea-

teneatur, ſicut huiuſmodi conſilium dederit, vbi opus non erit.

68. Cumque Moniales omnes, vel ad Refectoriũ, ſi valentes ſint, vel ad Noſodochium ſi ægrotæ, conuenire debeant ad refectionem ſumendam, Abbatiſſæ præcipimus, ſub pœna priuationis officij, ne cuipiam portionem carnium, ouorum, aliorumue commeſtibilium crudorum, vt ſibi quæque pro ſua libertate coquat, dari permittat.

Illæ autem, quæ bona valetudine vtuntur, omnes communi vita contentæ ſint; neque cuiquam permittatur, vt famulam habeat peculiarem, ſed ſiqua vel propter infirmitatem virium, morbum, aut ſenectutem peculiari miniſterio indigeat, ex communibus famulis, aut Conuerſis aliquam Præfecta deſignet, quæ huiuſmodi opus charitatis exerceat; quam tamen ex induſtria mutet, aliamque identidem ſubſtituat, vt neceſſitati vniuſcuiuſque in hunc modum cõſulatur, nec tamen priuato ſeruitio illarum quæpiam addicta ſit, vel dici poſſit.

69. De corporis, atque animi puritate, atque integritate nõ eſt cur multa dicamus, cum certum ſit Sanctimoniales Angelorum imitatrices eſſe debere, vt Agnum ſequi quocunque ierit, mereantur.

Quam

Quam integritatem dictis, factiſque, inceſſu; ac præcipuè veſtitu præſeferre debent. proptèrea nulla impoſterum ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ per triennium, velo vtatur ſerico, vel curiosè, eleganterque plicato. nulla item monialis profeſſa velum nigrum deponat, ac ſiquæ deponendi iuſta cauſa fuerit, id ne fiat, niſi obtenta à nobis facultate in ſcriptis.

70. Quoniam autem nonnullas eſſe accipimus adeo lingua incontinentes, vt de ijs rebus cum externis loquantur, quæ pacem turbare, aliaque Monaſterio incommoda afferre poſſent; Nos huic malo mederi cupientes, præcipimus ne qua monialis ſiue ſuperior illa fuerit, ſiue non, cum externis agat, aut loquatur de aliarum defectibus, de Abbatiſſæ, aut aliarum Officialium electione, de rebus, quæ forte cuipiam ex Monaſterio intercederent cum ſuperioribus, aut Monialibus, Viſitatoribus, Confeſſarijs, Cappellanis, & ſimilibus. quæ ſecus fecerit, carceri per ſex menſes mancipetur.

71. Cum Medicos, tonſores, fabros, ac viros quoslibet Monaſterium ingredi cōtigerit, quod non niſi interdiu fieri permittatur, & vrgente neceſſitate, ſignum detur campanæ, quo omnes tam moniales quàm ſæculares ſe à virorum conſpectu vt decet Virgines, ſubtrahant.

72\. Comitatrices in quolibet Monaſterio deſignentur, quæ annos quadraginta, nō pauciores natæ ſint; eæ viros, vbi intra clauſtra ingreſſi fuerint, ſemper recto tramite ad deſtinatum locum comitentur, nec aliæ præter eas illos alloquantur, niſi de ſuperiorum voluntate comitentur.

73\. Veſpere dato ſigno, in ſua ſe cubilia recipiant omnes, vt cubitum eant, nec inde amplius ad loquendum progrediantur, tam ſuperior, quàm ſubditæ; maximum enim mulierum ornamentum eſt ſilentium. proin Præfecta id curet magna diligentia. ſi qua vero inobediens fuerit, per annum actiuo, paſſiuoque ſuffragio priuetur. In dormitorio autem ſemper lampas ardeat.

74\. Cumque Moniales in decantādis Deo laudibus totæ eſſe debeant, eaque ſolum quæ Domini ſunt, cogitare, die, noctuque omnes Chorum frequentent, nec corpore ſolum, ſed etiam animo ſacris officijs diſtinctè, attentèque celebrandis interſint. nulla igitur ratione alternis decantent cum Clericis, ſed ſolæ ſimul ipſæ diuina officia perſoluant. inſtrumenta omnia muſica è Monaſterijs tollantur, exceptis Organis, quæ in exteriori Eccleſia permittimus, itaque nulla Regularis, aut Sæcularis perſona

ad id quoquo modo ſe ingerat, ſed tantum Sacerdotes, & Clerici à Nobis deputati, ſeu deputandi, ad Miſſas celebrandas in die ſolemnitatis Monaſterij, eaque munera obeunda, quæ ſunt ex vſu Eccleſiæ neceſſaria, cuiuſmodi ſunt, Miſſæ celebratio, benedictiones, & his ſimilia, quæ per moniales expediri non poſſunt; accedant.

75. Literas ſcribere, vel recipere, niſi ab Abbatiſſa antea perlegantur, non audeant. quæ non paruerit, carceri per menſes ſex mancipetur.

76. Præcipuam verò curam adhibere debent, vt mundam, puramque interni hominis ſedem Chriſto ſeruent, propterea frequenter pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta humiliter, & cum ſumma animi deuotione obeant. quod ſingulis ſaltem menſibus facere omnino teneantur, præſertim illæ quæ Regulam Sancti Benedicti ſequuntur, ex Regulæ eiuſdem præſcripto. ſi qua tamen adeo à religioſa conuerſatione aliena fuerit, vt id temporis confeſſionis Sacramento ſe non expiarit, cœleſtique pane carere voluerit, Abbatiſſæ, aut Præfectæ in virtute Sanctę Obedientię pręcipimus, vt ei ſtatim colloquutorium interdicat, elapſoque altero menſe, niſi illa reſipiſcat;

Trid. ſeſſ. 25. c. 10. Clemen. ne in agro §. ſanè de ſtat. mon.

Nos

Nos, aut noſtrum Vicarium Generalem certiores faciat, vt remedia, quæ morbus poſtulat, adhibere poſſimus.

77. Cum extraordinarius Confeſſarius ad Monaſteria mittitur (quem omnino ter in anno deputari mandamus) omnes Moniales illum adire teneantur, liberum tamen omnibus ſit ei ſuam cōſcientiam aperire.

78. Repræſentationes, ſeu ſæcularium actiones cum habitu profano, nec tempore quidem Bacchanaliorum tanquam religioſæ modeſtiæ ſatis aduerſantes, vllo modo faciant.

79. Valde à religioſorum moribus abhorrens videtur mortuos lugère, ſicut ceteri, qui ſpem non habent. Præcipimus igitur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nequa monialis cum ſibi patrem, matrem, fratres, ſorores, reliquoſque ſanguine, aut affinitate coniunctos decedere contigerit, luctui more ſæcularium indulgens, tam Chorum, quàm refectorium adire intermittat. tantumque permittimus Abbatiſſæ vt ſi ita videatur, primis tribus diebus, eam, quæ in luctu eſt, ad refectionem communem conuenire ne cogat, ijs tamen elapſis, ſub pœna priuationis officij, ad res omnes cum alijs faciat conuenire. eam-

demque excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrant eæ, quæ trium dierum ſpatio elapſo inobedientes inuiſere audebunt.

80. Modus, eas, quæ religioſæ fieri poſtulant, ſuſcipiendi, hic erit. Cogatur primùm Capitulum, quod coram Vicario, aut Viſitatore fiat, deinde moniales Dei gloriam, ac Monaſterij commodum in Domino intuentes ſecretò ſuffragium ferent, ac ſi ex tribus partibus Capituli, duabus recipienda cenſebitur, ſi annum duodecimum compleuerit, recipiatur. quæ ſecus recepta fuerit, intra biduum è Monaſterio ſub interdicti pœna dimittatur, & Abbatiſſa, aut Præfecta, quæ receperit, perpetua officij priuatione mulctetur.

81. Vt ad ſolemnem votorum profeſſionem emittendam idoneæ ſint, ſextumdecimum ætatis annum expleuiſſe puellæ debent, ac Confirmationis Sacramento munitæ, nec non legere ſcientes, niſi vt Commiſſæ profiteri velint. nulla verò ante exactum probationis annum ad profeſſionem admittatur, ſecus enim irritam profeſſionem eſſe, iuxta Tridentini Concilij decreta declaramus.
Trid. ſeſſ. 25. c. 15.

82. Puellæ ſæculares, quæ in Monaſterijs Monialium educationis nomine, aut alia quauis cauſa

commo-

commorantur; ſi ſemel, niſi valetudinis cauſa, ac de Ordinarij licentia exierint, amplius in eis non recipiantur, niſi cum moniales fieri voluerint: interea vero dum in Monaſterio degunt, fuſci coloris veſtibus, non ſericis vtantur, nec vllo præterea exquiſito ornamenti genere ſe ornent. cincinnis, in auribus, torquibus, monilibus, ceteriſque eius generis inanibus delicijs omnino abſtineant.

Vſum vero ceruſſæ, aut purpuriſſi, quibus humanæ facies ad Dei ſimilitudinem factæ deturpantur, tum monialibus, tum etiam ſæcularibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna interdicimus.

Dormiant, verſenturque loco ſeparato à Monialibus, ijs exceptis, quæ ipſis regendis, inſtituendiſque præpoſitæ ſunt, nec cum vlla moniali conſuetudinem habeant, præterquam in Eccleſia cum Miſſa, aut diuina officia celebrantur.

Singulæ ſingulis lectis cubent. quod etiam monialibus obſeruari ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandamus.

Si earum aliquam nuptias contrahere contigerit, ſtatim à Monaſterio egrediatur, nec dum in eo erit, à Sponſo, eiuſque conſanguineis viſitari permittatur, nec munera Sponſi

mittat, ſub pœna Abbatiſſæ quæ id permiſerit, ſuſpenſionis per ſex menſes, ipſo facto incurrenda.

Si quæ demum ex his puellis monialis fieri voluerit, omnino diligenter examinanda eſt. propterea Viſitatori, aut Vicario præcipimus, vt Nos certiores faciat, quo deliberemus, an ad ſuos per aliquod tempus remittenda ſit, quò facilius, & melius eius libera voluntas explorari poſſit.

83. Pecuniæ, quæ ex dotibus prouenient, in arcâ in Monaſterio ad id deputata, cuius claues, vna penes Abbatiſſam, alia penes Cellerariam, & tertia penes antiquiorem monialem permaneât, conſeruentur, nec in alium effectum, quàm in reddituum emptionem vltra ſummam vnciarum decem de Epiſcopi facultate cõuertantur. quod etiã in reemptione eorumdem, aliorumque reddituum obſeruari decernimus.

84. Si quæ ſunt in Monaſterio puellæ, quæ conſtitutam pecuniam alimentorum, aut educationis cauſa Monaſterio ſuo tempore nõ ſoluerint, niſi intra menſem totum debitum ſoluatur, tanquam eæ, quæ ceterarum prouentibus magno cùm Monaſterij incommodo iniuria vtuntur, ad ſuos domum remittantur.

85. Ac ne impoſterum huiuſmodi damnum Monaſte-

naſteria ſentiant, nulla puella recipiatur, quæ idoneum fideiuſſorem Nobis, aut Vicario noſtro Generali, aut Viſitatori probandum de alimentis præſtandis, non dederit. cuius pecuniæ dimidium niſi quolibet ſemeſtri anticipata ſolutione numeratum fuerit, puellæ ad ſuos remittantur.

86. Mulieres, quæ ad ſeruiendum in Monaſterijs admittuntur, ſint Virgines, bonæ vitæ, ac famæ, & ſi ſemel egredi contigerit, iterum non ingrediantur.

87. Protectores, Procuratores, Exactores, Theſaurarij, librorumque detentores non niſi de Epiſcopi conſenſu eligantur.

88. Celleraria, ad quam ſpectat neceſſaria Monaſterio ſubminiſtrare, & curare, impenſas in libro in diem deſcribat, quod etiam in alio à Procuratore fieri mandamus, & vltimo cuiuſque hebdomadæ die coram Abbatiſſa, duabus Decanis, ac Cappellano perlegat, quas approbatas Cappellanus ſubſcribat, in fine cuiuſlibet menſis liber impenſarum à Procuratore confectus, Cappellano, vel (vbi adeſt) librorum detemptori conſignetur.

Procurator nullo modo pecunias penes ſe retineat, ſed ſtatim Theſaurario, vel Abbatiſſæ in arca conſeruandas tradat.

89. In Monaſterio liber, vbi dies quo aliqua religionis habitum aſſumit, notari debet, habeatur: facta autem profeſſione in eodem illius nota deſcribatur, cui ea, quæ profitetur ſubſcribat, vel ea neſciente, duæ ex antiquioribus monialibus, vt de omnibus impoſterum certa ratio habeatur.

90. Demum quia ob monaſteriorum diuerſitatem, vt proprijs cuiuſque defectibus remedia propria applicarentur, diuerſas in earum viſitatione condendas duximus conſtitutiones; cum non omnia ad vnumquodque illorum reſpectiuè pertineant, eas hic inſerere non curauimus. Præcipimus nihilominus omnino ad lineam, ſub pœnis in eis appoſitis obſeruari.

DE REGVLARIBVS.

Cap. VI.

A Regularibus præter ea, quæ in ſuperioribus decretis, quo ad confeſſionem, predicationem, nonnullaque alia ſtatuimus, infráſcripta etiam obſeruari decernimus.

91. Cum ægrotantium confeſſiones in domibus audierint, illorum nomina proprio Parocho quàmprimum nota facere procurent.

92. Cenſuras à Nobis inflictas in ſuis Eccleſijs publicent, dieſque feſtos, qui in noſtra Diœceſi ex noſtro præcepto obſeruantur, obſeruent. *Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de regul.*

93. Ad proceſſiones ordinarias, ſiue ob cauſam publicam extraordinarias, accedant, aliàs cenſuris compellantur. *Seſſ. ead. c. 13.*

94. Noua Monaſteria, ſeu Conuentus abſque Epiſcopi facultate ne erigant. *Seſſ. 25. de regul. c. 3.*

95. Ad Monaſteria Monialium ad colloquendũ non accedant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

96. In die Sabbati Sancti, Regulares, alijque omnes ante Eccleſiæ maioris campanas ne pulſent ſuas: ſed illis ſonantibus, peculiares ſimul conſonent. *Leo. 10. in conc. gen. Later.*

97. Problemata publicè diſputanda, niſi ab Epiſcopo approbata, ne exponant.

98. Cõſtitutionem Pij Quinti Pontificis Maximi de Sepulchris in Eccleſijs conditis remouendis; exequutioni demandent.

99. Tertij Ordinis habitum non niſi honeſtis mulieribus, quadraginta annis non minoribus, vnde commodè ali poſſunt, habentibus, in conſanguineorum, vel primo gradu coniunctorum affinium habitantibus, ac ſub conditionibus in Sacræ Congregationis nuperrimè edito decreto contentis, elargiantur.

 Mulie-

Mulieribus verò maximè inhoneſtis dictum habitum ſine Superiorum facultate deferre, ſub fuſtigationis, & exilij pœna arbitrio noſtro inhibemus.

100\. Demum eiſdem Regularibus in domo, aut per viam, dum defuncti cadauer ad ſepeliendũ defertur, illum præſente Parocho, ſi vocatus interfuerit, aſpergere, neque ante ianuam Eccleſiæ orationem ſolitam cantare, aut dicere, antequàm cadauer intus illam collocetur, etiam ſi in eorum Eccleſijs ſuam defuncti elegerint ſepulturam, vllo pacto licebit. hæc enim omnia proprio Parocho competunt, ad Regulares vero ſolum officium circa corpus defuncti poſtquam intus eorum Eccleſias delatum fuerit, facere ſpectabit.

Ex Decr. ſacr. congr. Rit.

DE SYNODO DIOECESANA.
Cap. VII.

Licet ea, quibus ad commiſſi gregis ſalutem tuendam, corruptos mores corrigendos, Eccleſiaſticamque diſciplinam reſtituendam, conſeruandam, augendamque, Paſtoris vigilantia eſt exercenda, multa ſint, nulla tamen certior ac facilior inuenitur via, quàm prout ex Sacrorum Canonum, ſacrique Concilij Tridenti-

d. ſeſſ. de ref.

ni

ni conſtitutionibus ſancitum eſt, Diœceſanam Synodum quotannis conuocare.

101. Nos ergo muneri noſtro, quantum in nobis eſt, ſatisfacere cupientes, ſingulis annis in hac Cathedrali Eccleſia celebrandam indicimus, cuius certum diem ſacro Epiphaniæ feſto populo denunciari curabimus. Quò circa vniuerſis qui de iure, vel conſuetudine Synodo intereſſe debent, monemus in Domino, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ, & pœnis à Sacris Canonibus ſancitis, diſtrictè præcipimus vt ſtatuta die ad illam perſonaliter conueniant: ſi autem legitimũ obſtet impedimentum, quod Nobis erit probandum, tunc procuratorem certum mittant, qui Statuta in Synodo recipiat.

Ac vt ijs, quæ remedio indigent, opportunè prouideatur, diligenter ſatagant, num quæ à Sacro Concilio Tridentino, ac in præſenti Synodo ſancita ſunt, obſeruentur.

102. Cũque Diœcesàna Synodus totius Diœceſis bona reſpiciat, omnes vtriuſque ſexus fideles noſtræ curæ cõmiſſos, in Domino hortamur, vt die Dominica, quæ immediatè Synodum præcedet, Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramẽto refecti, pias preces Domino fundãt, vt ea actio præueniatur, adiuuetur, & ad optatum finem pro ſui nominis gloria, animarũque omnium ſalute, perducatur.

DE

DE EXAMINATORIBVS Synodalibus. Cap. VIII.

103. *Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 18.* IN Diœceſana Synodo Sacri Concilij Tridentini decreto Examinatores Synodales ab Epiſcopo proponi debere decernitur, vt in Parochialium vocatione, tres ex eis, quos Epiſcopus eliget, cum eo examen perficiant. Examinatores ergo in hac Synodo propoſiti, & approbati, hi ſunt,

S. T. D. Don Franciſcus Inguardiòla Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ Ciuitatis Platiæ, Vicarius Generalis.

V. I. D. Don Ioannes Baptiſta Paternò Prior Eccleſiæ Cathedralis.

V. I. D. Don Franciſcus de Amico Cantor.

V. I. D. Don Vincentius Marchiſana Decanus.

V. I. & S. T. D. Don Ioſeph Caſtronouo Theſaurarius.

V. I. D. Don Philippus Tarantus Canonicus.

D. D. Don Carolus de Leo Canonicus.

V. I. D. Don Octauius Anſalonus Canonicus.

D. D. Don Antoninus Perremutus Canonicus.

S. T. D. Don Angelus Cãpochiaro Canonicus.

V. I. & S. T. D. Don Claudius de Leonibus Præpoſitus Collegiatæ Vrbis Catinæ.

Magi-

Magiſter Deſiderius la Placa Ordinis Carmelitarum.

Qui officium prædictum fideliter in manibus noſtris exequi iuramento promittent, illud animaduertentes ne humana affectione trahantur, nihil muneris examinis prætextu recipiant, caueantque ne indignum digno præponant: quod ſi fecerint præterquàm quod Deo admiſſæ culpæ rationem reddent, grauiter Epiſcopi arbitrio punientur.

DE IVDICIBVS.
Cap. IX.

104. IVdices, quos Sacra Tridentina Synodus præcipit etiam conſtitui, vt eis ad forum Eccleſiaſticum pertinentes cauſæ in partibus delegari poſſint, quique indignitate cõſtituti eſſe debent, hos nominamus, *Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 10. C. Statutũ de reſcript. in 6.*

S. T. D. Don Franciſcum Inguardiola, Præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ Ciuitatis Platiæ, Vicarium Generalem.

V. I. D. Don Ioannem Baptiſtam Paternò, Priorem Eccleſiæ Cathedralis.

V. I. D. Don Frãciſcum de Amico Cantorem.

V. I. D. Don Vincẽtium Marcheſana Decanũ.

V. I. & S. T. D. Don Ioſeph Caſtronouo Theſaurarium.

V. I. D. Don Philippum Taranto Canonicum.
D. D. Don Carolum de Leo Canonicum.
V. I. D. Don Octauium Anſalonũ Canonicũ.
D. D. Don Antoninum Perremutum Canonicum.
S. T. D. Don Angelum Campochiaro Canonicum.
V. I. & S. T. D. Don Claudium de Leonibus Præpoſitum Collegiatæ Vrbis Catanæ.
S. T. D. Don Iacobum Romano Theſaurariũ.
Don Vincentium Bonaiuto Cantorem.
S. T. D. Don Hieronymum Caſcio Cantorem Eccleſiæ Collegiatæ Ciuitatis Platiæ.
S. T. D. Don Baldaſſarem la Monica Theſaurarium.
V. I. D. Don Iacobum Calaſcibetta Decanum.
V. I. D. Don Marianum Petruſo, Priorem Eccleſiæ Matricis Ciuitatis Caſtri Ioannis.
S. T. D. Don Iulium la Porta Canonicum Eccleſiæ Maioris Ciuitatis Calaſcibettæ.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS.
Cap. X.

VEtuſtiſſimam etiam à Sacroſanctis Canonibus introductam conſuetudinem inſequentes, vt in Diœceſana Synodo viri aliqui, vita,

vita,& moribus graues eligantur, qui Teſtes Synodales appellantur, ad quos ſpectet, ea quæ in Vrbe, & Diœceſi emendatione digna compererint, Epiſcopo renunciare, nonnullos deſignauimus, quos infraſcripta iuramenti formula obligari mandauimus.

Ego N. Teſtis Synodalis ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo nominatus, promitto, ſpondeo, ac iuro, me poſthac quidquid nouerim, aut audiuerim, quod contra voluntatem Dei, & rectam Chriſti fidem, morumque integritatem, bonamque viuendi rationem in Vrbe,vel Diœceſis regione mihi commiſſa factum ſit, vel faciendum quocunque modo ſi ſciuero,aut indicatum fuerit mihi Synodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Illuſtriſſimi Epiſcopi pertinere, nec propter humanum timorem, nec propter prẹmium, aut alias affectiones cœlaturum Illuſtriſſimo,& Reuerendiſſimo Epiſcopo, aut eius Nuncio, quem his de rebus inquirere iuſſerit, quandocunque me ſuper hæc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet, & Sancta Dei Euangelia.

Animaduertant igitur, vt muneri ſibi cōmiſſo diligenter ſatisfaciant, attente inueſtigantes, num Eccleſiaſticæ perſonæ religioſe viuāt, num qui reſidere tenētur, reſideant, nū Curati ouium

ſaluti

ſaluti inuigilent, pueros doctrinam Chriſtianam doceat, num Sacerdotes onera Miſſarum adimpleant, num publici peccatores inueniantur, & maximè excommunicati.

Ac demum, an in præſenti Synodo ſtatuta ſeruentur. quæ autem correctione digna iudicauerint, Epiſcopo quàm primum deferant.

HAec ſunt, filij dilectiſſimi, quæ ad omnipotentis Dei laudem, veram Chriſtiani nominis conſeruationem bene viuendi inſtructionem, ac ad animarum nobis commiſſarum diſciplinę reſtaurationem, ſtatuere decreuimus. quibus, poſt bimeſtre à die illarū publicationis, volumus omnes & ſingulos cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, ac ſi ſingulis intimata fuiſſent, obligari: interpretationem, ac explicationem difficultatum, ac ambiguitatum, quę quouis modo ſuboriri poterunt, Nobis reſeruamus. ea tamen omnia, & ſingula, qua debemus humilitate & reuerentia Sanctę Romanę Eccleſię auctoritati ſubijcimus.

Acta Catanæ in Eccleſia Cathedrali, die 26. 27. & 28. Aprilis 5. Indictionis 1622.

LAVS DEO.

Imprimatur Don Franciſcus Rodriquez Vicarius Generalis.][*Imprimatur de Blaſchis P.*

INDEX
TITVLORVM
QVI IN HAC SYNODO CONTINENTVR.

IN PRIMA PARTE.

1. *De Fide Catholica, & ad illam pertinentibus.* 5.
2. *De his, quæ ad Eccleſiarum cultum pertinent.* 13.
3. *De Sanctorum reliquijs.* 29.
4. *De Vaſculis ſacrorum olearum.* 31.
5. *De Sacra ſuppellectili.* 32.

IN SECVNDA PARTE.

1. *De Baptiſmo.* 35.
2. *De Confirmatione.* 39.
3. *De Sacramento Pœnitentiæ.* 40.
4. *De Euchariſtiæ Sacramento.* 47.
5. *De Extrema Unctione.* 57.
6. *De Sacramento Ordinis.* 61.
7. *De Miſſa.* 75.
8. *De Matrimonio.* 78.

IN TERTIA PARTE.

1. De Clericorum moribus. 85.
2. De Diuino officio. 96.
3. De iis, qui Dignitates, & Canonicatus habent, præſertim in Cathedrali. 98.
4. De Religioſa in Eccleſiis conuerſatione. 137.
5. De Verbo Dei. 141.
6. De Doctrina Chriſtiana. 145.
7. De Curatis, eorumque officio. 147.
8. De Feſtorum dierum cultu. 157.
9. De Concubinariis. 164.
10. De Ludimagiſtris. 165.
11. De Immunitate Eccleſiaſtica. 167.

IN QVARTA PARTE.

1. De Vicariis, & Iudicibus Eccleſiaſticis. 173.
2. De Adminiſtratione piorum locorum. 183.
3. De Sodalitatibus. 190.
4. De Seminario Clericorum. 192.
5. De Monialibus. 198.
6. De Regularibus. 216.
7. De Synodo Diœceſana. 218.
8. De Examinatoribus Synodalibus. 220.
9. De Iudicibus. 221.
10. De Teſtibus Synodalibus. 222.

NOTATV DIGNIORA ORDINE ALPHABETICO digeſta.

A

ABBATISSA Monialibus extra refectorium, & nexodochium commeſtibilia ne concedat. pag. 207. numero 68.
Abſentiæ à Choro quæ cauſa. pag. 139. n. 61.
Abſolutio quibus deneganda. 42. n. 19.
Abſolutionis forma. 43. n. 20.
Abſolutio neſcientibus rudimenta fidei ne impendatur. 147. n. 95.
Aetas ordinandorum. 66. n. [illegible]
Aetas Monialium profiteri volentium. 212. n. 80.
Alienationes bonorum Eccleſiaſticorum, inconſulto Epiſcopo ne fiant. 128. num. 47.
Altaris forma. 25. n. 60.
Altari neceſſaria. 26. n. 62.
Altaria quo loco collocanda. 27. n. 66.
Altaris neceſſaria patronus intra ſex menſes prouideat. 27. n. 67.
Altare nouum ſine licentia ne conſtruatur. 27. n. 68.
Archiuium quomodo cuſtodiendum. 181. n. 20.
Ab eo ſcripturæ originales ne extrahantur. ibidem.
Archiuij claues penes quos conſeruandæ. ibidem.
Et quomodo ſede Vacante. 187. n. 33.

B

BAptiſmus ante nonum diem, & non noctu miniſtretur. 36. n. 1.
In Baptiſmi adminiſtratione ſeruanda. 36. n. 2.
Baptizandorum patrini quot, & quales. 36. n. 3.
Baptizati domi, ad Eccleſiam deferantur. 37. n. 7.
Baptizandi ſub conditione. 38. n. 9.
Beneficiorum priuilegia à Seminarij deputatis ſubſcribenda. 198. n. 52.
Blaſphemantes, acerrime puniantur. 11. n. 10.
Bona Eccleſiaſtica inconſulto Epiſcopo ne alienentur. 128. n. 42.
Bulla Cœnæ in Sacriſtia affigenda. 45. n. 24.
Bulla mutationis ſtatus Eccleſiæ Cathedralis. 99.

C

CAdauera effoſſa humo ne ſepeliantur. 17. n. 30.
Cadauera loco depoſiti vltra menſem ne recipiantur. 18. n. 32.
Cadauera intra viginti horas ad Eccleſiam deducantur. 156. n. 111.
Eorum vero, qui repente moriuntur, non niſi poſt viginti quatuor. ibidem.
Cadauera niſi de Epiſcopi facultate transferantur. 157. n. 113.
Cadauera exhumantium pœna. 153. n. 193.
Campanæ pro mortuis noctu ne pulſentur. 125. n. 43.
Campanæ pro ſalutatione Angelica, poſt ſignum à matrice dandum pulſentur. 152. n. 100.
Canonici etiam in capitulo Fidei profeſſionem emittant. 6. n. 2.
Canonici quot procurationes habere poſſint. 139. n. 52.
Quomodo literis ſe ſubſcribant. nu. 53. Quomodo choro interueniant. n. 54.
Quæ ab eis in choro obſeruanda. n. 55. Quæ vitanda. n. 56.
Cantoris officium. 119. n. 35.
Capitula diebus feſtis ne habeantur. 125. n. 44.
In capitulis quæ obſeruanda. ibidem.
Capituli officiales poſt annum mutentur. 128. n. 48.
Capituli Cathedralis Cancellarij officium. 128. n. 49.
Caſus reſeruati. 45. n. 23.
Caſuum reſeruatorum tabella in Sacriſtia affigatur. 45. n. 24.
Caſuum conſcientiæ exercitium. 46. n. 25.
Cellerariæ Monaſterij officium. 215. n. 88.
Cenſuũ piorum locorum capitalia penes theſaurarios depoſitentur. 185. n. 28.
Vbi non adſunt, penes depoſitarium generalem. 186. n. 32.
Cæremoniale Romanum obſeruandum. 131. n. 65.
Chorus qualiter collocandus. 19. n. 37.
Chori arca occludatur. 20. n. 38.

Chorum laici ne ingrediantur tempore diuinorum officiorum. pag. 20.
num. 39.
Clerici in foro ſeculari quomodo agant. 178. n. 13.
Coram iudice laico teſtimonium ne dicant. 179. n. 16.
Clerici proceſſioni Sanctiſſimi Sacramenti interueniant. 53. n. 40.
Clericorum habitus. 85. n. 1.
Pileum quale deferant. ibidem.
Anulum ne induant. ibidem.
Comam ne nutriant. 87. n. 2.
Clerici habitum nec aſſumant, nec dimittant ſine licentia. n. 3.
Per vicos ne vagentur. 88. n. 4.
Suſpectas mulieres effugiant. 88. n. 5.
Clerici concubinarij pœna. n. 6.
Clerici ſodomitici pœna. n. 7.
Clerici meretricis domum ne adeant. 89 n. 8.
Vile munus ne exerceant. n. 10.
Hoſpitij domos ne retineant. 90. n. 11.
Depoſito habitu clericali ne incedant. n. 12.
Muſicis inſtrumentis domi, & in Eccleſia tantum vtantur. ibidem.
Mercaturam ne exerceant. n. 13.
Contra Clericos bona ſubiugata poſſidentes, quomodo procedendum. 171.
num. 139.
Clerici foro ne renuntient. 170. n. 135.
Clericorum ludentium pœna. 90. n. 14.
Clerici arma ne deferant. 91. n. 15.
Laruati ne incedant. 92. n. 17.
Tabernas euitent. n. 18.
Aduocati officium ne aſſumant. n. 19.
Super patrimonio ne fideiubeant. 93. n. 20.
Tabellionatum, & medicinam ne exerceant. n. 21.
Tutoris, & Curatoris onus ne accipiant. n. 22.
Donationes quas admittant. 94. n. 23.
Clericorum receptantium bannitos, & excommunicatos, pœna. n. 25.
Clerici furum internuntij non ſint. 94. n. 26.
Monetam falſificantium pœna. 95. n. 27.
Eccleſijs iuxta aſſignationem inſeruiant. pag. 95. num. 28. & pag. 123.
num. 62.
Cœmeteria quomodo cuſtodienda. 18. n. 33.
In Colleggiata Ciuitatis Platiæ, quæ obſeruanda. 135. n. 62.
Concionatores Villarum Catanæ, & Acis, quomodo eligendi. pag. 142.
num. 85.
Concionatores fidei profeſſionem emittant. 142. n. 83.
Conciones quo tempore habendæ. 142. n. 86.

Concio Paſſionis quo die habenda. ibidem.
Concionatoris partes. 143. n. 87. & pag. 145. n. 91.
Concubinariorum pœna. 164. n. 24.
Concubinarij ſub fideiuſſione ligandi. 177. n. 11.
Statim iniungendi. ibidem.
Confeſſarij partes in Sacramento pœnitentiæ miniſtrando. 42. n. 16.
Confeſſarij à reſeruatis ne abſoluant. 43. n. 18.
Nec ab his, in quibus participes fuerint. n. 19.
Pecuniarum pro pœnitentia impoſitarum diſtributionem ne ſuſcipant. 44. num. 21.
Confeſſarij, non reuelantes ſortilegia exercentes, ne abſoluant. 10. n. 7.
Confeſſarij infirmos ad eorum Eccleſijs legata relinquendum, ne opprimant. pag. 152. n. 99.
Confeſſionalia qualia eſſe debent. 24. n. 53.
Confirmandorum ætas. 39. n. 11.
Confirmandi à quibus ſuſcipiendi, & quomodo præparandi. 40. n. 12.
Conſultores quomodo recuſandi. 183. n. 23.
Conſultorum Vicariorum officium. 178. n. 15.
Conuiuia in Eccleſiis, & Oratorijs ne fiant. 192. n. 42.
Corporalia, & ſimilia in Eccleſijs conſeruentur. 33. n. 89.
A quibus lauanda. ibidem.
Corpora occiſorum extra Eccleſiam inſpicienda. 17. n. 31.
Crux in pauimento Eccleſiæ ne pingatur. 16. n. 26.

D

DEnuntiationes matrimoniorum, quo tempore facienda. 77. n. 90.
Decimæ omnino ſoluantur. 171. n. 137.
Diſtributiones quotidianæ quomodo diuidendæ. 121. n. 58.
Doctrina Chriſtiana à quibus, & quomodo docenda. 145. n. 92.
Donationes Clericis factæ, approbandæ. 121. n. 58.

E

ECcleſiæ forma. 12. n. 11.
Supra Eccleſiam ne dormiatur, & munda conſeruetur. 13. n. 13.
Ipſius parietibus arbores non adhæreant. 14. n. 15.
Eccleſiæ fores conuenienti hora claudantur. 14. n. 18.
Eccleſijs profana ne exerceantur. 138. n. 74.
Eccleſiis mendici eleemoſinas ne quærant. 139. n. 77.
Nemo in eis pernoctare audeat. 139. n. 78.

Campanæ,

Campanæ, aut aliud fabrile in eis ne fiant. ibidem.
Profani contractus in eis non celebrentur. n. 79.
In Eccleſiis, & Cœmeterijs delinquentium pœna. ibidem.
In Eccleſijs, & Sacriſtijs ſcholæ ne habeantur. 140. n. 80.
Eccleſiæ quo tempore aperiendæ. n. 81.
In eis Laicorum cauſæ ne agitentur. 170. n. 133.
Eccleſiaſticas perſonas moleſtantes excommunicantur. 169. n. 132.
Eccleſiaſtica bona vſurpantes, aut deſtruentes excommunicantur. 171. n. 136.
Eccleſiaſticorum bona quibus non locanda. 171. n. 138.
Eleemoſinarum pro miſſis celebrandis taxa. 77. n. 91.
Eleemoſinæ in Sacramētorum adminiſtratione in Cathedrali, quæ. 134. n. 64.
Eleemoſinæ funeralium quando diſtribuendæ. 156. n. 110.
Eleemoſinarum quæſtores niſi de licentia Epiſcopi admittantur. 176. n. 7.
Edictum generale, feria quarta Cinerum promulgetur. 149. n. 97.
Electiones à Capitulo faciendæ, quomodo. 127. n. 46.
Epiſcopi Cathedra, vbi, & qualiter collocanda. 18. n. 34.
Euchariſtiæ Sacramentum quibus caſibus ſumendum. 49. n. 29.
In Paſchate quibus miniſtrandum. n. 30.
Contra non ſumentes in Paſchate, quomodo procedendum. 50. n. 31.
Extra Parochiam communicantes, fidem Parocho afferant. 51. n. 33.
Id etiam faciant extra patriam ſumentes. 52. n. 36.
In Euchariſtiæ miniſtratione, vinum laicis ne detur. 51. n. 35.
Euchariſtiæ Sacramentum quo tempore, & quomodo miniſtrandum. 52. n. 37.
Laicis quotidie ne miniſtretur. 153. n. 102.
In eius adminiſtratione eleemoſinæ ne excipiantur. 52. n. 37.
Qua pompa, & à quibus in die eius feſti deferendum. 53. n. 39.
In eius proceſſione Rituale omnino obſeruandum. 54. n. 41.
Quomodo infirmis miniſtrandum. 54. n. 42.
Solus Parochus id miniſtret. 55. n. 43.
Noctu non deferatur. n. 44.
Aegrotis ſumere non valentibus, tantum oſtendatur. 56. n. 46.
Examinatores ab ordinandis nil recipiant. 71. n. 78.
Examinatores Synodales. 220. n. 103.
Excommunicatorum tabella in Eccleſiis exponatur. 149. n. 97.
Exequutores legatorum pro puellis maritandis quæ agere debeant. 187. n. 33.
Exorcizandi munus de licentia Epiſcopi adeundum. 11. n. 9.
Extrema vnctio à quo miniſtranda. 57. n. 49.
In eius miniſtratione, quæ obſeruanda. 58. n. 50.
Noctu non miniſtretur. 60. 57.
Vltra ſolitam eleemoſinam nil accipiant. 60. n. 59.

F

FEſti dies qui. 162.
Feſtorum dierum cultus. 158. n. 115.
Non obſeruantium pœna. ibidem.
Quæ in eis vitanda. 159. n. 116.
Quomodo publicandi. 160. n. 120.
Neceſſitatis tempore licentia operandi, quomodo concedenda. 161. n. 122.
Feſtis diebus ante Miſſam maiorem nemo ludat. n. 121.
Feneſtræ Eccleſiæ quomodo muniendæ. 15. n. 22.
Fidei profeſſio à quibus emittenda. 5. n. 1.
Fidei profeſſionis exemplum. 6. n. 3.
Fons aquæ Sanctæ, qualis. 16. n. 25.
Fontis Baptiſmalis forma. 22. n. 49.
Funeralium eleemoſinæ, quæ, & quomodo in Cathedrali diſtribuendæ. 125. num. 41.
Funera quo tempore, & quomodo deducenda. 155. n. 110.

G

GAbellas à Clericis exigentes excommunicantur. 170. n. 134.

H

In HOſpitijs inhoneſtæ feminæ ne permittantur. 176. n. 8.

I

IAnua Eccleſiæ quo loco, & quomodo extruenda. 14. n. 16.
Imagines quomodo in Eccleſia depingendæ. 15. n. 20.
Non in locis immundis. 30. n. 81.
Imagines Beatæ Mariæ, & Sanctorum mendici ne deferant. 176. n. 7.
Immunitas Eccleſiaſtica ſeruanda, & quomodo. 167. n. 130.
Impedimenta ordinandorum, quæ. 62. n. 64.
Indulgentiæ nouæ, ſine licentia ne publicentur. 144. n. 90.
Indulgentiarum publicatione, quæ ſeruanda. ibidem.
Indulgentia Doctrinæ Chriſtianæ interuenientibus conceſſa. 146. n. 94.
Indulgentia interuenientibus proceſſioni Tertia Dominica, Sanctiſſimi Sacramenti. 154. n. 106.

Indulgen-

Indulgentia genufleƈtētibus dum Sanƈtiſſimū Chriſti Corpus eleuatur. 77. n. 90.
Indulgentiæ Sanƈtiſſimum Sacramentum ad infirmos aſſociantium publicādæ. pag. 57. n. 48.
Indulgentia interceſſentibus proceſſionibus Sanƈtiſſimi Sacramenti. 53. n. 40.
Inſignia Capituli Cathedralis. 129. n. 51.
Iudices Synodales. 221. n. 104.

L

Lamentatrices prohibentur. 164. n. 125.
Legatorum piorum diſpoſitiones impedientium pœna. 152. n. 99.
Lenonum pœna. 164. n. 125.
Libros prohibitos retinentes, reuelandi. 10. n. 5.
Liber ſit in Eccleſia, in quo celebrantes referantur. 22. n. 48.
Liber baptizatorum. 37. n. 8.
Liber confirmatorum. 40. n. 13.
Liber matrimoniorum. 83. n. 104.
Literæ teſtimoniales Clericis à quibus dandæ. 134. n. 63.
Ludi in Eccleſiis vitentur. 138. n. 75.
Ludimagiſtri fidei profeſſionem emittant. 165. n. 128.
Sine licentia id munus ne exerceant. ibidem.
Libros obſcœna tractantes ne legant. ibidem.
Pueros pœnitentiæ Sacramentum frequentare curent. n. 129.

M

Magiſtri Notarij ad quæ teneantur. 179. n. 16.
Acta ſucceſſoribus conſignent. 182. n. 21.
Iulianam actorum habeant, quæ à Diœceſi mittuntur. n. 22.
Matrimonio ne iungantur qui fidei rudimenta neſciunt. 80. n. 96.
Matrimonio non contracto cohabitantium pœna. 81. n. 98.
Matrimonij denunciationes, quibus diebus, & quo tempore. n. 99.
Matrimonium falſo impedientium pœna. 82. n. 100.
Matrimonium vbi, & quando celebrandum. 82. n. 101.
Sub vmbella Sanƈtiſſimi Sacramenti ne benedicatur. ibidem.
Matrimonium contrahentes, quando benedicendi. 83. n. 102.
Ad Matrimonium contrahendum, quæ ætas, & quomodo probanda. 83. n. 105.
Medici Pij Quinti Bullam obſeruent. 149. n. 97.
Miracula noua ſine Epiſcopi facultate ne admittantur. 30. n. 80.
Miſſam intra annum nouus Sacerdos celebret. 71. n. 80.
In Miſſæ nouæ celebratione, quæ vitanda. 72. n. 81.
Miſſam Sacerdotes extranei abſque licentia ne celebrent. 72. n. 82.

In

In Miſſæ celebratione quæ ſeruanda. 73. n. 83.
Miſſæ in oratorijs priuatis ne celebrentur. 78. n. 93.
Miſſa Conuentualis quando celebranda. 97. n. 31.
Miſſæ in diebus ſolemnioribus à quibus in Cathedrali celebrandæ. 121. n. 37.
Miſſarum eleemoſinæ quantæ. 77. n. 91.
Monetas falſificantium pœna. 95. n. 27.
Moniales ad ianuas Monaſterij non accedant. 198. n. 56.
Nec ad collocutorium ſine licentia. n. 57.
Monaſteriorum crates, quales. 199. n. 57.
Monialium collocutio prohibetur. n. 58.
Per ianuam Monaſterij neceſſaria tantum ingrediantur, & egrediantur. 200. num. 59.
Monaſterij claues penes quos conſeruentur. ibidem.
Confeſſionalium feneſtellæ quomodo obſerandæ. n. 60.
Monialibus aliquid largiri prohibetur. 201. n. 61.
Monialium bona Monaſterijs cedant. 202. n. 62.
Moniales peculiares gallinas, & ſimilia ne habeant. n. 63.
Edulia ne coquant etiam aliorum expenſis. 203. n. 64.
Literas ne ſcribant, nec recipiant, niſi ab Abbatiſſa videantur. 210. n. 75.
Singulis menſibus communicent.
Sæcularium actiones ne repræſentent. 211. n. 78.
Ob mortem propinquorum à Choro, & menſa non abſint. 211. n. 79.
Velo ſerico ne vtantur. 208. n. 69.
De rebus Monaſterij cum exteris ne loquantur. 208. n. 70.
Infirmæ niſi in noxodochio à medicis viſitentur. 205. n. 67.
A Confeſſarijs extra illud non audiantur. ibid.
Moniales ad ſeruiendum infirmis deputentur. 205. n. 67.
Comitatrices in vnoquoque monaſterio eligantur. 209. n. 72.
Monaſteria intrantes medici, quomodo comitandi. 208. n. 71.
E Monaſterijs muſica inſtrumenta tollantur. 209. n. 74.
Monaſteriorum Confeſſarij à monialibus ne quid accipiant. 203. n. 64.
Ad Monaſteria extraordinarij Confeſſarij mittantur. 211. n. 77.
In Monaſterijs, in quibus viget obſeruantia, quæ agenda. 203. n. 65.
In ijs, in quibus non viget, quomodo pecuniæ conſeruandæ, & diſtribuendæ. 204. n. 66.
Monaſticum habitum aſſumere volentium ætas. 212. n. 80.
Moniales quomodo profeſſionem admittendæ. n. 81.
Earum profeſſionum notæ in libro deſcribantur. 216. n. 89.
Monaſteriorum Procuratorum officium. 215. n. 88.
In Monaſterijs educandæ, quæ obſeruare debent. 212. n. 82.
Monialium dotes quomodo conſeruandæ. 214. n. 83.
[illegible]res poſt partum ad Eccleſias accedant. 153. n. 102.
[illegible]erum poſt cadauera vlulantium pœna. 157. n. 113.

Necroman-

N

NEcromantiam, & ſimilia exercentes, excommunicantur. 10. n. 6.
Ea exercentium notitiam habentes reuelent. ibid.
Notarii legata pia reuelent. 182. n. 21.
Nundinariæ tabellæ ab Eccleſiæ parietibus diſtent. 13. n. 13.

O

OBſtetricis officium ſine licentia ne fiat. 38. n. 8.
Officinæ ab Eccleſiis diſtent. 13. n. 12.
Officium diuinum quomodo, & qua præparatione recitandum. 96. n. 29.
In officii diuini recitatione quæ agenda, quæque vitanda. 97. n. 32.
Oleorum Sacrorum vaſa, qualia. 31. n. 82.
Vbi cuſtodienda. n. 83.
A quibus in die Cœnæ accipienda. n. 84.
Oleo nouo conſecrato, vetus comburatur. 39. n. 10.
Oratio quadraginta horarum quomodo diſponenda. 48. n. 26.
Oratorium in Sacriſtia collocetur. 21. n. 45.
Orationes non approbatas infirmis applicantes excõmunicantur. 11. n. 8.
Ordinandi in Eccleſia publicentur. 62 n. 62.
Quo tempore ſe præſentare debent. 63. n. 65.
Quæ teſtimonia ferre. n. 66.
Ordinandorum ætas. 66. n. 71.
Ordinandi ad ſacros ordines quæ teſtimonia exhibere debent. 66. n. 71.
Ordinandi Regulares quas literas afferent. 70. n. 75.
Ordinandi commendatitias literas ne præſentent. 71. n. 77.
Organi ſono quæ canenda. 20. n. 40.

P

PAramenta Eccleſiarum, laicorum vſibus ne commodentur. 154. n. 107.
Pandecta obſeruanda. 180. n. 19.
Parochi officium circa moribundos. 60. n. 58.
Parochi officium, antequam matrimonii denunciationes incipiat. 79. n. 94.
Parochi diligentia. 148. n. 9[illegible]
Parochialis Eccleſia quibus conſtari debeat. 32. n. 85.
Parochi Dominicis diebus populum inſtruant. 141. n. [illegible]
Parochi officium tempore ordinationis. 61. n. [illegible]
Parochi prope Eccleſias habitent. 153. n. [illegible]

Parocho

Parocho mortuo, libri à Vicario ſeruato conſeruentur. 174. n. 5.
*Parochi Eccleſiæ bona, nec mobilia, nec immobilia inconſulto Epiſcopo alie-
nent. 154. n. 106.*
Participantes legata pro puellis maritandis excommunicantur. 188. n. 34.
Pauimentum Eccleſiæ, quale. 16. n. 23.
Pentecoſtes die, artificia ſulphurea prohibentur. 153. n. 102.
Piorum locorum Rectores iuramentum præſtent. 183. n. 24.
Bona ſtabilia ne alienent. n. 25.
Quomodo ea locationi tradant, & locatores fideiuſſionem præſtent. ibidem.
Magnas expenſas, inconſulto Epiſcopo ne faciant. 186. n. 30.
*Liti initium ne dent, nec bona obligata eximant abſque licentia Epiſcopi.
ibidem.*
A prædeceſſoribus rationem exigant. 186. n. 31.
Pœna pro mundities circa ad Miſſam neceſſaria ſeruanda. 34. n. 90.
Pœnitentiæ Sacramentum ſine licentia nemo miniſtret. 41. n. 14.
Vbi, quando, & quomodo miniſtrandum. 41. n. 15.
Prædicare abſque licentia nemo audeat. 141. n. 83.
Præceptum Paſchale quomodo adimplendum. 50. n. 31.
Primam tonſuram ſuſcepturi, quæ teſtimonia afferent. 62. n. 63.
Prioris officium in Cathedrali. 119. n. 34.
Proceſſiones, in quibus Capitulum Cathedralis interuenire tenetur. 124. n. 40.
Proceſſiones extra Ciuitates, vltra quingentos paſſus ne fiant. 175. n. 6.
In proceſſionibus reliquiæ deferantur. ibidem.
Proceſſio Sancti Marci quomodo facienda. ibidem.
Proceſſiones nouæ ſine Epiſcopi licentia ne fiant. ibidem.
Puellæ educandæ in Monaſterijs, quæ obſeruare debent. 212. n. 82.
Niſi ſoluerint alimenta, eijciantur. 214. n. 84.
Antequam ingrediantur, fideiuſſionem pro alimentis præſtent. n. 85.
Puellæ maritandæ, quomodo eligendæ. 183. n. 33.
Pueri Euchariſtiam ſumpturi, examinandi. 51. n. 34.
Punctatorum officium. 132. n. 60.

Q

Quæſtores piorum operum, quales. 189. n. 36.

R

Recognitorij actus bonorũ piorum locorum quomodo faciendi. 189. n. 35.
Regulares ordinandi quas literas afferent. 70. n. 75.
*ares, ægrotantes, quorum confeſſiones audient, Parocho denuntient.
pag. 216. n. 91.*

Cenſuras

Cenſuras publicent. 217. n. 92.
Ad proceſſiones accedant. n. 93.
Noua Monaſteria abſque licentia ne erigant. n. 94.
Ad Monaſteria Monialium ne accedant. n. 95.
Campanas in die Sabbati Sancti ante matricem ne pulſent. n. 96.
Problemata, niſi de licentia exponant. n. 97.
Conſtitutionem Pii Quinti de ſepulchris remouendis obſeruent. n. 98.
Habitum tertij ordinis quibus mulieribus concedere debent. n. 99.
Defunctos, Parocho præſente, ne aſpergant. 218. n. 100.
Reliquiæ Sanctorum venerandæ. 29. n. 76.
Quibus diebus exponendæ. 30. n. 77.
Sine Epiſcopi licentia ne transferantur. n. 79.
Nouæ, ſine licentia ne admittantur. n. 80.
Reliquiarum claues in Cathedrali quomodo conſeruandæ. 121. n. 36.
Reſtitutio Confeſſario commiſſa intra quantum tempus facienda. 44. n. 21.

S

Sacerdos nouus abſque licentia ne celebret. 71. n. 79.
Sacrarium in Sacriſtia extruatur. 19. n. 38.
Sacriſtia extruenda. 21. n. 43.
Quæ in ea ponenda. n. 44.
Secretarij capituli officium. 127. n. 45.
Sepulchra in excelſo loco poſita, auferantur. 16. n. 2.
Pauimento æquentur. 17. n. 2.
A baptiſterio diſtent. n. 3.
Seminario duo deputentur, eorumque officium. 193. n. 4.
Ad Seminarium admittendi, quales. n. 4.
Quæ agere debeant. 194. n.
Seminarij archiuium conficiendum. 196. n.
Seminarij deputati beneficiorum priuilegia ſubſcribant. ibid.
Bonorum confinia renouent. 197. n.
Seminarij redditus quomodo emendi. n.
Seminario debitæ pecuniæ quomodo ſoluendæ. n.
Sodalitas Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtituenda. 57. n.
Sodalitates nouæ ſine licentia ne inſtituantur. 190. n.
Sodalitatum officiales quomodo eligendi. n.
Poſt annum ne confirmentur. 191. n.
Regulares ad inſeruiendum earum Eccleſiis ſine licentia ne admittant. n.
Sodalitates in paſchate in Parochia communicent. 192. n. 4.
Scripturarum ad Eccleſias pertinentium libros habeant. n.
Conuiuia in Oratorijs, & Eccleſijs ne faciant. 192. n.

Maſ

Maſculi, & ſimilia ab eis non explodantur. n. 43.
Suggeſtus qualiter collocandus. 19. n. 35.
Synodus Diœceſana quando celebranda. 219. n. 101.
Ad eam quæ præparatio adhibenda. n. 102.

T

Tabella pro hora Miſſæ Conuentualis, & officij diuini celebranda. 98. n. 33.
Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, quale, & quomodo conſeruandum. 28. n. 69.
Tectum Eccleſiæ quale eſſe debeat. 15. n. 21.
Teſtes Synodales. 222.
Theſaurarij Cathedralis officium. 120. n. 36.
Theſaurarius in Eccleſiis eligatur. 185. n. 26.
Theſaurarij locorum piorum pecunias ne mutuent. 186. n. 29.

V

Vaſa ſacra ne pignorentur, nec vendantur. 33. n. 88.
Venalia Eccleſiarum parietibus ne appendantur. 13. n. 12.
Vendentes res carius Clericis, excommunicantur. 170. n. 135.
Veſtibus religioſorum in profanis nemo vtatur. n. 137.
Vicarij foranei officium. 173. n. [illegible]
Quas cauſas cognoſcat. 176. n. 9
Reos ſub fideiuſſione emittat. 176. n. 10.
Informationes quolibet menſe tranſmittat. ibidem.
Circa Clericorum exceſſus quomodo procedat. 178. n. 12.
Sine Conſultore ne iudicet. n. 15.
Cauſas fiſcales bis in hebdomada habeat. n. 16.
Pecunias Seminario debitas exigat. 197. n. 55.
Viſitationis tempore, quæ præparanda. 150. n. 98.
Vota qualiter commutanda. 43. n. 19.
Vſurariorum pœna. 164. n. 126.

FINIS.

ERRATA.

pag.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
1.	15.	cærimonias	cæremonias
2.	20.	quattuor	quatuor
16.	14	adhereat	adhæreat
20.	2.	in ea	& in ea
30.	10.	ſiut	ſint
36.	12.	Sacramento	Sacramentum
37.	20.	cærimonijs	cæremonijs.
62.	15.	initiati	initiandi
	27.	homicidium	homicidio
66.	19.	presbiterorum	præsbiterorum
72.	20.	presbiter	præsbiter.
74.	11.	omiſſæ	ommiſſæ
94.	3.	cognita	cognitæ
123.	8.	conſequenter	conſequentur
135.	27.	noſtro	noſtra
159.	9.	eligendam	eligendum
166.	1.	profeſſionem à Pio	profeſſionem ad præſcriptam à Pio
181.	13.	præcipientes igitur vt	præcipientes vt
183.	22.	fructibus	fructus
220.	4.	vocatione	vacatione

VA1
1528171

Digitized by Google

Digitized by Google